venirent; cum inter noſtras tribulationes benedicimus Deo, cum illas ex paterna illius dextera accipimus tamquam indicia amoris ſui erga nos, & noſtri erga ipſum experimenta; cum noſmet fatemur peccatores, atque omnium ſcelerum noſtrorum intuitu noſmet humiliamus, & miſericordem juſtitiam adoramus illius, qui nos punit in tempore, ut parcat in æternitate. Quicumque amat tribulationem ſibi a Deo immiſſam, quia amat Deum, eo quod hæc tribulatio illum emendat, & dignum efficit Deo, poteſt ſane concipere ſpem, quam S. Paulus proponit, tamquam fructum probatæ patientiæ. Si dicis; pœnam mereor: ego tibi reſpondeo: ſi plecteris cum filiis Dei, & ſuſtines cum obſequio, & amore filiorum, cur non ſperas gloriam filiorum? *Recens quidam.*

Spes eorum qui tales ſuſtinens tribulationes, fallax non eſt.

Non omnis ſpes certa eſt: adeſt quædam ſpes fallax, vel potius temeraria præſumptio, per quam putas te ad Regnum Dei perventurum, quin facias, & patiaris, quæ facienda, & ſuſtinenda ſunt. Spes de qua Apoſtolus loquitur, illorum eſt, qui juſtificantur per fidem; qui cum Deo pacem ſervant; qui cum gaudio propter ipſum patiuntur; qui gloriam ſuam in tribulationibus ſuis nanciſcuntur, & qui invicta conſtantia, qua ſuſtinent tribulationes, probant, ſe amari a Deo, & a ſe amari Deum; & ſe habere ſpiritum adoptionis filiorum. Hi etiam juſti ſpe pleni non ceſſant, quominus trepident ſua inſpecta infirmitate. Certi ſunt ſe amari a Deo, licet non admodum certi ſint, utrum ament Deum, quamvis hoc credant, neque temere credant: quæ res fovet in eorum corde metum filialem, ac ſalutarem, qui ſemper ſocius eſt amoris divini, qui in illis eſt. His addamus, quod licet hujus rei integram haberent certitudinem, quinam ſciunt, utrum ſemper Deum ſint amaturi, & ſibi gloriæ verſuri propter eumdem pati? Patientia, & amor illorum ſunt Dei dona, & quemadmodum non poterunt ipſi, ea ſibi donare ita neque horum donorum perſeverantiam ſibi donare poſſunt. In Deo igitur lætantur, ſed, ut olim David, cum timore. Sperant in Deo, ſed de ipſis diffidunt. Fortes ſunt, ſed ſunt humiles, eorum quippe fortitudo non eſt ex ipſis. Verbo, ſi S. Sanctus illis perhibet teſtimonium, quod ſunt filii Dei per humilem, ſubmiſſamque patientiam, qua vitæ hujus tribulationes ſuſtinent, illis perhibet quoque teſtimonium, illos effici poſſe hoc nomine indignos; eoſque per profundam dumtaxat humilitatem ſervaturos virtutem hanc, quam mere obtinent a miſericordia illos amantis, qui verus eſt character filiorum Dei, ac tutior via ad æternam hæreditatem, quam illi ante tempora præparavit. *Auctores recentes.*

Da nobis, Domine, panem illi ſimilem, quem Eliæ Prophetæ dediſti, panem, qui nos illuminans, omnibuſque vitæ noſtræ diebus confirmans deducat nos ad beatum finem, quo tendunt tribulationes omnes cum patientia ſublatæ ad montem Dei; panem gratiæ, & luminis qui efficiat, ut præſentes miſerias, atque adverſitates intueamur tamquam momentum leve tribulationis, quod immenſum gloriæ pondus operatur in cœlis: panem gratiæ, & luminis, cujus ope nobis innoteſcat magnum illud diſcrimen inter ea, quæ meriti ſumus pati in inferno, & ea, quæ in terris patimur, & quia ea nobis extorqueat verba, quæ proferebat olim vir in tribulationibus: anima, quæ de flammis inferni educeretur, ſi eſſet in ſtatu meo, numquid muſſitaret? E contra inter tribulationes meas ſe nonne beatiſſimam prædicaret? Da nobis igitur panem luminis, & gratiæ, quo palam videamus, quid ſit peccatum, quod ea nobis conflat mala, quæ patimur; qui efficiat, ut minus liberari poſtulemus a tribulationibus noſtris, quam omnia nobis peccata dimitti, tibique inceſſanter dicamus, non ſicut huculque fecimus: averte Domine a nobis tribulationes quibus premimur; ſed averte in nobis cauſas adverſitatum noſtrarum; dele in nobis peccatum, ſi noſtræ ſaluti non prodeſt, nos iis liberari malis, quæ noſtra nobis ſcelera pepererunt, & divinæ intereſt gloriæ, nos pati. Petamus ab eo fortitudinem, & gratiam patienter ſuſtinendi, & ne permittat, nos cedere tentationi, qua vulgo angi ſolent, qui maxime laborant, qui reſpiciunt manum, quæ illos percutit, tamquam inimicam, cum illam reſpicere deberent, tamquam amiciſſimam, quæ ideo percutit ut alteram in cœlo ſedem mereantur, vel ut illos excitet ex lethali ſopore, in quem illos peccatum conjecit, ita illos puniens in tempore, ut iis parcat in æternitate. *Modus recitandi orationem Dominicam.*

Patientia aptiſſima virtus, eſt ad gloriam merendam.

Si regnum cœlorum acquiri non poſſet, niſi plurima agendo, & præclaras res gerendo, robur, & optima valetudo nobis eſſent omnino neceſſaria, ut eo perveniremus; alioquin ad illud nemo poſſet pervenire. Patiendo enim illud facilius, utilius, tutiuſque poſſumus promereri; quia illud merendo per tribulationes, & adverſitates, noſtra magis frangitur ſuperbia, noſtra magis exercetur, ideoque & anima ipſa magis humiliatur, quod plurimum confert ad illam cœlo digniorem efficiendam. Adde his, cum tædia, amaritudines & faſtidia morborum imparem animam reddant guſtandis deliciis, & voluptatibus, hæc ipſa in eadem diſcindere vincula omnia, quibus terrenis rebus poterat adhærere... Morbis longe utilius Regnum cœleſte promeremur, quam bona valetudine; illi enim ſæpius, quam hæc, præbent occaſionem exercendi ſolidiſſimas virtutes, fidem, Dei voluntatibus obſequium, humilitatem, ſui diffidentiam, confidentiam in Deo; & alioquin Chriſtianæ patientiæ opus eſt abſolutiſſimæ perfectionis: *Patientia opus perfectum habet.* Jacob. 2. Verum eſt morbis per ſe nihil ineſſe niſi moleſtum oculis naturæ, & mundanis hominibus inviſum;: ſed in oculis veri fidelis, animæque humilis pretioſi videntur propter facilitatem, quam præbent ingentia comparandi merita coram Deo, & propter copiam theſaurorum gratiæ, quos accumulandi nobis præbent occaſionem. Re ipſa aliudne requiritur, quam integrum providentiæ mandatis obſequium, & perfecta divinæ voluntati obedientia, ut cœlo digni efficiamur? *Ibidem.*

Mortalibus infirmitatibus obtutus, & nihilominus divinæ voluntati perfecte ſubmiſſus, ita affectus accedentibus quibuſcumque conatibus, quibus eo in ſtatu par eſt, regnum cœlorum vi capit, ejuſque adit poſſeſſionem. Itaque licet jacens in lectulo, & propter morbi acerbitatem viribus exhauſtus, rapit vi regnum Dei, eoque potitur; quoniam per obſequium, atque patientiam ſeſe conjungit cum Salvatore, cujus omnipotenti ope ſibi aperit cœli portas, illuc ingreditur, ibique regnat cum illo. Nobis per os Apoſtoli tui pollicitus es, dicere debet Chriſtianus ægrotans, ſi tuarum paſſionum in terra conſortes fuerimus, futuros quoque tui gaudii in cœlo participes. Fiat in nobis voluntas tua per tribulationes, doloreſque morborum in terra, ut tua quoque voluntas in nobis fiat per cœleſtis gloriæ tuæ perfruitionem. Lectulus in quo me jacentem tenet infirmitas, crux eſt, cui inhærentem me tenet adorabilis providentia tua. Si vult me ex hoc morbo conſurgere, fiat voluntas ſua. Si non vult me ex hac cruce deſcendere, ut in ſepulchrum deſcendam, hæc adorabilis voluntas ſua æque fiat, & compleatur. *Idem.*

In temporalibus negotiis ſemper bonum certum, quod pertinet ad nos, incerto præferimus, quod ſpectat ad alios. Si ſimiliter ageremus in ſalutis noſtræ negotiis, ſtatim fateremur conſilium ſeſe conquerendi in iis malis, quæ patimur, falſum eſſe, & a ratione damnari. Quia noſmet conquerendo, nobiſmet certe non profumus; & admodum incertum eſt, utrum conquerendo proximo proſimus. Cur ergo noſmet privamus patientiæ bono, cauſam prætexentes aliis procurandi bonum correctionis? Saltem magna ſpes eſſe deberet hanc nobis e ſententia eventuram: alioquin hoc eſt agere contra veram rationem propter incertam ſpem abrenuntiare certo bono, quod nobis adfert tribulatio humilis, & tranquilla. *Ex tractatu de mediis ſervandæ pacis.*

Utile eſt gemitus continere in cōtumeliis quibus afficimur.

Nihil utilius eſt, quam continere gemitus etiam, & querimoniam. Hæc via eſt obitendi a Deo, ut nobiſcum non agat ſecundum juſtitiæ ſuæ ſæveritatem, & ut inquit Scriptura, non intret cum nobis in judicium. Hæc tutiſſima ratio eſt ſopiendi lites in ipſo ortu, ac prohibendi, ne exaſperentur. Hæc charitas eſt, quam nobiſmet exercemus, procurantes nobis patientiæ bona, & avertentes & nobis famam hominis delicati, & cavillatoris, & dolorem, quod percipimus, cum hominum verſutia in diluendis criminibus efficiat, ut damnemur in iis, in quibus omni culpa vacare arbitramur. Charitas hæc aliis fiat, cum illos in ipſorum imbecillitatibus ſuſtinemus, & parcimus eorum verecundiæ, qui meriti ſunt confundi, & recentibus noxis, in quas conſiderent ſeſe excuſantes, & iterum onerantes eos quibus conquerendi occaſionem præbuerunt. Denique hæc melior eſt via illos lucrandi, cum patientiæ noſtræ exemplum longe aptius ſit ad immutandum cor erga nos, quam noſtra querimonia; querimonia quippe ad ſummum efficere poteſt, ut exteriorem corrigant ſpeciem, quod parum eſt, & augeant potius interius odium, quod ea pariunt, de quibus querimur. *Idem.*

Quid detrimenti patemur conſilium ineuntes non conquirendi? Nil omnino, dico etiam in hoc mundo. Nonne magis nobis obtrectabitur? E contra, ſtatim ac noſtram audient modeſtiam, minus propenſi erunt ad obloquendum de illa. Nos majori erimus in pretio. Omnia redigentur ad inurbanitates aliquot, vel injuſtos ſermones, quibus querendo numquam medebimur. Maligna hæc oblectatio, quam ipſi percipimus noſtram offenſionem aliis communicantes, tanti ne valet, quanti dolor noſmet privandi theſauro, quem per humilitatem, atque patientiam acquirere poſſumus? *Idem.*

Morbi reſpiciendi sūt tamquam tutiſſima via ad cœleſtem gloriam perveniendi.

Quantuslibet futurus ſit numerus dierum tribulationis, quem nobis deſtinat Deus toto noſtrarum infirmitatum curriculo: quantumvis grave, ac difficile ſit ad ſuſtinendum pondus dolorum noſtrorum; quantacumque eſſe debeat noſtrarum tribulationum menſura; quantuſcumque debeat eſſe calix amaritudinis, quem nobis præparat Deus: nobis accipiendus eſt tamquam calix ſalutis, nobis Patris Cœleſtis manu oblatus. Nobis ſufficere debet, quod ille numeraverit pœnas, quas ſubituri ſumus hujus ægritudinis tempore, & omnes amaritudines, quæ illam ſunt comitaturæ. Nobis ſatis eſſe debet cognoſcere ab ipſo hæc omnia dirigi; certi quippe ſumus, ipſum nihil præcipere, niſi ut morbus, quem nobis opituletur ad expianda in hoc mundo peccata, quæ nobis eſſent in altera expianda. In hac certitudine nobis ſed fidenter dicendum eſt? Eheu Domine, largire nobis invictam patientiam neceſſariam ad perferendos ſine murmure, & cum conſtantia dolores omnes, qui nobis erunt perferendi in morbis, quo nobis tibi placet immittere, ut in hac vita ſcelerum noſtrorum expiationem abſolvamus. Ultro, ac libenter aſſentimur tribulationum noſtrarum incremento, quantumvis intolerabiles ſint, ut quamprimum eo in ſtatu ſimus, ut quamcitius ingredi valeamus ad fruitionem illius beatitudinis, quam tandiu, & tantopere concupiſcimus. *Modus recitandi Orationem Dominicalem.*

Quin animos deſpondeamus, & in queſtus erumpamus, lætandum eſt nobis in doloribus noſtris, quantumvis ſævi ſint, atque vehementes. Orandus etiam Deus eſt, ut augeat illos, & cum amore illi dicendum eſt: Ure, Domine, ſeca, & in hac vita ne parcas, ut nobis parcas in altera: Æquiſſimum eſt, ut qui miſere ſua abuſus eſt valetudine, eamque non impendit, ut opus erat, in Dei ſervitute: æquiſſimum eſt inquam, ut ea privetur: & poſtquam vetitas, ſibi voluptates deguſtavit, ſaltem in ſuorum peccatorum pœnam doloribus afficiatur. Ingrati ægrotantes, qui inceſſanter murmuratis de malo, quod ſuſtinetis; æquius eſſet, ut Deo gratias ageretis, quod ab eo vos liberaverit, quod vobis erat in inferis perferendum. Heu! Si vellet Deus aliquid de ſua juſtitia remittere erga damnatum, ejuſque pœnas commutare cum illis, quas hodie impatienter adeo feſtinetis, infelix hæc anima eas leviſſimas eſſe fateretur collatas cum ſuis, quamvis illæ vobis non ferendæ viderentur. Mala mea, diceret illa, nihil ſunt, ſi conferantur cum teterrimis ſuppliciis, a quibus Dei miſericordia me liberavit. *Id.*

Perſuaſum nobis eſſe debeat eas pœnas, quas patimur, nihilum eſſe, ſi cum iis, quas meremur, cōferamur.

Vulgatæ tentationis illis, qui violentis laborant infirmitatibus, quam modicæ viderentur, ſi attentius conſiderarent terribilia ſupplicia, quæ alioquin illis in altero mundo eſſent perferenda, Quam patientiam, & firmitatem in acutiſſimis doloribus ſuis non præſeferrent, quam ſuavitatem non invenirent inter amaritudinem, ac faſtidia rerum omnium, quæ infirmitatem concomitantur! Quæ gaudia inter tentationes triſtitiæ, tædii, dejectionis! Quod ſilentium inter tentationes murmuris, & querimoniæ, iræ, & furoris; ſeu contra illos, quibus eorum cura demandata eſt, ſeu contra medicos, & qui operam dant, ut eos relevent morbo! Da mihi, inceſſanter dicerent, Da mihi Deus ſpiritum fortitudinis contra omnes infirmitates, in quas vulgo incidunt ægri; da ſpiritum moderationis contra impetum quemcumque, ſpiritum ſuavitatis contra omnem acrimoniam, & amaritudinem cordis, ſpiritum ſubmiſſionis imperiis divinæ Providentiæ tuæ, ut quantumvis ſevera nobis videantur, agnoſcamus illa ſemper talia, qualia ſunt erga nos, eaque jugiter recipiamus cum ſpiritu fidei, gratitudinis, & conformitatis conſiliis ſuis de nobis in infirmitatibus noſtris; ſpiritum ſapientiæ, qui efficiat, ut inde hauriamus fructus, quoſcumque poſſumus ad ſalutem noſtram, tuique Sancti amoris incrementum: denique ſpiritum gratiæ, qui nobis opituletur adverſus omnia tentationum genera, quæ tuis de nobis conſiliis adverſantur. *Ex Tract. de modo recitandi Orationem Dominicam.*

Memoria cruciatuum, ac Paſſionis filii Dei nobis inſpirare debet patientiam in tribulationibus noſtris, ac ex nobis extorquere hæc verba: Mundi Salvator, qui non peccavit, paſſus eſt, neque ulla ex eo audita fuit querimonia: nos vero patimur, quia peccavimus, & quæremur? Dei filius paſſus eſt, ut Paternæ ſatisfaceret juſtitiæ pro peccatis noſtris; amavit cruciatus ſuos, iiſque ſe obtulit; nos vero ita erimus ignavi, ut ferre nolimus, & exemplum illius ſequi detrectemus? Divinus Dominus meus, & magiſter in paſſione, & morte ſua ſexcentas paſſus eſt contumelias, atque tormenta, quin conqueretur, & muſſitaret; ego ejus exemplum debeo imitari. Noluit ille deſcendere de Cruce ſua; non ergo cupiam deſcendere de mea. Ita eſt, Deus meus, cor meum numquam fovebit hoc deſiderium. *Modus recitandi Orationem Dominicam.*

Sapiens patientem cum vocat virum, qui conſtanter malum ſuum ſuſtinet; fortem vero illum, qui eidem occurrit malo. Alter hic primo ſtatim intuitu videtur priori antecellere, ſed aliter judicat Spiritus ſanctus & priorem poſteriori præcedere judicat: *Melior eſt patiens viro forti.* Prov. 16. Et ſane qui impetitur, ac laceſſitur, natura conſtitutum eſt, ut ſe tamquam inferiorem putet viribus, qui vero alterum petit laceſſitque, hic viribus ſuperior habetur. At glorioſius eſt reſiſtere, cum te putas infirmiorem, quam alium aggredi, cum te fortiorem credis. Secunda, cum reſiſtis, malum jam præſens eſt, ejuſque vim ſentis; e contra cum pati quæris, malum adhuc abeſt, nondum illud experimur, neque eodem infirmati ſumus. Denique patientia in gravi aliquo morbo perferendo complectitur ſemper plurimos actus, qui ſupponunt, vel potius dant nobis hujus virtutis habitum; cum e contra patiendi deſiderium in ſe met nil aliud eſt, quam actus perfunctorius, & poteſt etiam ſæpe principii loco habere fervorem imprudentem, vel nimiam amoris proprii ſubtilitatem. Cupiamus igitur cruces, voluntarias nobiſmet infligamus pœnas, uti faciunt homines mundo huic crucifixi: ſed ante omnia illorum imitemur patientiam in malis, quæ nos antevertunt. Alioquin timendum eſt maxime, ut cum omnibus pœnitentiis noſtris victimæ ſimus amoris noſtri: *In die judicii veſtri invenitur voluntas veſtra.* Iſa. 58. *P. Segneri in Meditat.*

Patientia quæ facit, ut quiſque poſſideat animā ſuam in patientia, præferenda eſt fortitudini quæ facit ut tribulationibus occurramus.

J. C. nequaquam ſuam promittit remunerationem illis, qui ſeſe periculo objecerint, ac illud provocarint, ſed qui patienter, & conſtanter vitæ hujus tribulationes, & adverſitates pertulerint. *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.* Luc. 21. Raro evenit, ut malo obviam ire teneamur: ſed quemadmodum occaſiones perferendi ſeſe in ſingulas horas offerunt nobis, miles J. C. ſemper armatus eſſe debet, ad ſtrenue reſiſtendum paratus. Ita videmus eos, qui præ ceteris ſanctitate floruerunt, quod tentationis fortiter obſtiterint, & vix unum invenias, qui eo glorietur, quod hoſtem in aciem evocaverit. *Placeo mihi*, Apoſtolus inquit, in *infirmitatibus meis*, *in contumeliis*, *in neceſſitatibus*, *in perſecutionibus*, *in anguſtiis pro Chriſto.* 2. Cor. 12. Quodnam erat fundamentum nobilis hujus confidentiæ, quam hic jactat Apoſtolus? Hoc nempe, quod ex iis omnibus, quæ patiebatur, nihil erat optionis ſuæ, & certus erat, ſe nonniſi Dei ſui facere voluntatem. Diſcamus hinc in pretio habere cruces, quas nobis immittit Providentia, & multo minus cofidere in meritis earum mortificationum, quas nobiſmetipſis procuramus: *Melior eſt patiens viro forti, ſapiens ait. Idem.*

Patientiæ bona.

Colimus, ut ita dicam, ingratum agrum. Omnia dumis plena ſunt, ſpinæ ſub pedibus oboriuntur; necquiquam illas convellis, iterum renaſcuntur, & in omnibus conditionibus, in ipſo etiam regni ſolio lancinant. Si deſit patientiæ ſubſidium, aculei non pungunt ſolum, ſed ſcindunt; patientia una illas habent, obtunditque; in patientia poſſidemus animas noſtras, videlicet hac virtute admirabili noſtras ſubigimus cupiditates. Tranquillitas, & pax animæ primus eſt fructus illius. Nihil patientia melius cordis tumultus, & agitationes mulcet: ſedat hæc impetus ætatis, vel naturæ nimis ferventis, omnibus ſollicitudinibus medetur. Hæc ſola eſt ad vitam beatam ducendam via. Quot ipſi nobis curas, quot peccata evitaremus, ſi aliquid plus nobis adeſſet patientiæ? Impatientia noſtra eſt nobis origo fœcunda curarum, vel ſaltem totius amaritudinis, quam in adverſitatibus, & crucibus noſtris nanciſcimus. Si patientia noſtra inimicis arma non aufert, niſi diluit fel, quo tument adverſus nos, niſi eorum extinguit odia, ſaltem conatus eorum irritos facit. Patientia magnarum animarum virtus eſt; hæc communis eſt omnium Sanctorum virtus, cur autem non erit noſtra? *P. Croiſet in anno Chriſtiano.*

Impatientia unum ex vitiis eſt, a quibus minus nobiſmet cavemus, quamvis pauca ſint, quorum exitus nobis ſint magis formidandi. Homo nimis acer, homo impatiens fere non utitur libertate ſua, neque ultra domi-

dominus eſt ſuorum judiciorum, & voluntatum. Non eſt dominus ſuorum judiciorum, nam quin auſcultet, & ſequatur rationem, nonniſi per impetum, & præceps ingenium ſuum operatur. Quæcumque habeat lumina, ignis, quo rapitur, efficit, ut deterius capiat conſilium, cum interim vir patiens lumine mediocri in moderatione ſua inveniat, quidquid ipſi deeſt aliunde. Impatiens neque voluntatis ſuæ Dominus eſt; hæc enim fit ludibrium tot motuum, quot varia ſunt objecta, quibus turbatur, & irritatur. *P. Segneri in Meditat.*

Impatientia non ſolum impedimento eſt, ne homo ſit compos ſui, ſed illum tot ſubjicit dominis, quot ii ſunt, cum quibus verſari tenetur. Verbum, geſtus, motus, omnia in illo impetum faciunt, illum turbant, & numquam fere in ſitu ſuo manet. Illud vero acerbius eſt, quod in ſingulas horas dæmonis inſultibus patet. Hic ſalutis noſtræ inimicus inceſſanter circuit, ut nobis inſidias ſtruat, & occaſionem nos deturbandi exploret: ſed opus non eſt, ut ullo utatur ſtratagemate contra impatientem; locus, ut ita dicam, ſemper caret propugnaculo, & vulgo illum primo impetu capit. Hinc diſcamus, quantæ utilitatis nobis ſit Salvatoris præceptum, ut per chriſtianam patientiam animam noſtram poſſideamus. *In Patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras*. Luc. 21. *Idem.*

Patientia jugi mortificationis exercitatione comparatur.

Scriptura non inquit, tribulationes ſtatim conferre patientiam, ſed hanc operari, & efficere ut illam adipiſcamur. *Patientiam operatur*. Jacob. 1. Et profecto virtus hæc non niſi paulatim, & diutina exercitatione poteſt acquiri. Primum ſtatim horremus, quidquid naturæ noſtræ mollitiem lædit, leviſſimæ tribulationes a nobis fremitum extorquent, & quamvis tandem ſuperetur hæc repugnantia, quanti hoc nobis ſtat, quot nobis ſuſtinenda ſunt prælia, ut hoc aſſequamur! Fruſtra quærerentur in libris cauſæ hujus patientiæ: fruſtra contenderemus in ſpiritus, animique ſuperioritate invenire, quomodo in inopinatis tribulationibus fulciremur; omnia Philoſophorum placita in praxi fierent irrita, & hæc animæ magnitudo, in qua confideremus, ubi eſſet opus, deficeret. Jugis mortificationis uſus ſolus eſt patientiæ magiſter. Numquid ſperare poſſumus, nos gratiam hanc aſſecuturos titulo minus oneroſo, quam illam Salvator ipſe poſſederit? Quamvis Dei Filius eſſet, *didicit ex eis, quæ paſſus eſt, obedientiam*. Ad Hebr. 5. Non ignorabat Paulus, Dei Filium ſemper virtutes omnes in eminentiori gradu poſſidere; ſed notat etiam, illum in perſona ſua nobis exemplar proponere voluiſſe. Quam ob rem Apoſtolus iſte non dubitat aſſerere, Salvatoris obedientiam, videlicet patientiam, & obſequium ſuum auſteris Patris ſui mandatis fuiſſe tamquam pretium, ac remunerationem paſſionum illius. Speremus ipſi poſt hæc, ſine ullo experimento patientiam eſſe adepturos? Sed quænam eſt noſtra vivendi ratio? Quin quæramus tribulationes, in eo ſumus occupati, ut eas cane pejus, & angue fugiamus; & quin ſaltem illas æqui, bonique faciamus, cum ſeſe offerunt nobis, ſumma diligentia evitamus, quidquid vel minimum nobis negotium faceſſere poteſt, & quotidie omnia nobis vitæ commoda procuramus. Inane glorioſum militum JESU CHRISTI titulum mereri contendimus? Quinam dux otioſus, & iners artem didicit militarem? Hac in re Principes quoque a lege communi immunes non ſunt; diu arma illos geſtare opus eſt, antequam pares ſint copiis in aciem deducendis. Numquid ignoramus hominis vitam eſſe juge prælium, & in acie, enſe diſtricto hominem Chriſtianum digladiari debere? Nemo intrepidus ſit, niſi qui nihil hæſitans ſe in hoſtes conjecerit qua pugna fervet, & ſtrenue graviſſimos inimicorum ictus ſuſtinuerit. *Probatio fidei veſtræ patientiam operatur*. *P. Segneri in Medit.*

Optime inſumptum rere, quidquid tibi ſteterit acquiſitio patientiæ; hæc enim additura eſt perfectionis cumulum iis omnibus, quæ feceris bona: *Patientia opus perfectum habet*. Maximus obex in virtutis via a nobis ſuperandus procedit ex inconſtantia noſtra, & ingenita levitate. Vix operi bono manum admovemus, cum tædium ſecretum ſtatim corde noſtro potitur; & ſi minus efficit, ut illud prorſus relinquatur, omne ſaltem meritum aufert. Patientia unicum remedium eſt huic morborum generi. Poſſumus quidem in aliis virtutibus invenire cauſas, ut maxima quæque aggrediamur; ſed ſola patientia efficere poteſt, ut illa exequamur, ac nos ad finem uſque poteſt ſuſtinere. Hujus eſt nobis coronam capiti imponere; ſine hac virtus mera libido eſt, ignavia, & fervor perfunctorius. Verum ſi patientia eſt inevitabilis neceſſitatis, ut perſeveremus in praxi bonorum operum ſigillatim, illa quam non habet cum finali perſeverantia affinitatem? Quis enim revera, quamvis patiens in finem ſtadii ſui, dicere poterit cum Filio Dei, *Opus conſummavi, quod dediſti mihi, ut faciam*, Joa. 17. Si heroicarum virtutum actus inconcuſſa patientia nequaquam fulciuntur, cujuſnam pretii erunt in oculis Dei? Ardentior charitas, obſequentior obedientia, ſublimior contemplatio pro nihilo habebuntur, niſi patientia illas conſtantes effecerit. Ita Scriptura nobis repræſentat Sanctorum beatitudinem tamquam pretium patientiæ, qua in finem uſque Domini legem compleverunt. *Hic patientia Sanctorum eſt, qui cuſtodiunt mandata Dei*. Apoc. 14. *P. Segneri in Medit.*

Omnis chriſtiana perfectio in virtute patientiæ continetur.

In ea tres continentur virtutes Theologicæ.

Vir patiens, S. Jacobus c. 3. ait, *vir perfectus eſt*. Et ſane tribulationes exercent, probant, & omnes virtutes illuſtrant. Sine tribulationibus virtutes ſunt vel dubiæ, vel imperfectæ, vel infirmæ; ſed tribulationes omnes certas, perfectaſque reddunt. Quomodo non emicat in tribulationibus Fides, cum jubet credere, nos a Deo amari cum nos plectit; illum per bonitatem ſuam in nos animadvertere; ad noſtram utilitatem delævire, ut nos humiles, & obſequentes efficiat, ut nos probet, & a mundo divellat, ſibique conjungat, ut imprimat in nobis imaginem Filii ſui crucifixi, ſimulque noſtræ prædeſtinationis characterem, denique ut nobis tutam faciat augeatque coronam? Quænam requiritur fides ad hæc omnia, licet obſtent naturæ & humanæ rationis lumina omnium cupiditatum conſenſu, & omnium fere mortalium præjudicio probata? Quid magis commendat ſpem, quam intueri hominem, qui ſe videt afflictum, obrutum, opprobriis cumulatum, redactum, ut ita dicam, ad nihilum, & in eum ſtatum, ubi nulla ſpei lux illi effulget illinc emergendi; intueri inquam hominem hunc ſperantem *contra ſpem in ſpem*, omnem confidentiam ſuam in Deo conſtituentem, qui non ſolum eum dereliquiſſe, verum etiam cum inimicis illius ſocia videtur arma junxiſſe, ut illum perſequatur, & nihilominus cum Job c. 13. dicentem: *Etiam ſi me occideris, ſperabo in te*. Innitar ſeveræ huic dexteræ, quæ mihi vulnus mortis infligit. Quid admirabilius eſt, quam videre hominem firmum rupis inſtar inter fluctus, quibus fluctibus circum undique obſidetur, quin labefiat! Solum rationis lumen ſatis eſt, ut in tanta fortitudine, atque confidentia magnum aliquid fulgeat; quod cauſa fuit, ut Ethnicus neſcio quis affirmaret, ſpectaculum Deo dignum eſſe virum fortem cum adverſa fortuna compoſitum, quin ſuperetur. Sed quanam charitate accenſi eſſe debemus, ut Deum amemus, cum videatur nos perſequi? ut illum tamquam Patrem reſpiciamus, ac in illum filiorum viſcera geramus, cum ille nobiſcum videatur agere tamquam cum inimicis; ut non colamus ſolum, verum etiam amemus Providentiæ conſilia; ut non tantum revereamur, verum etiam deoſculemur manum, a qua vapulamur? Qua opus non eſt obedientia, ut tamquam alter Iſaac in pyrrha locari ſinamus non ſolum quin repugnemus, & quin murmuremus, verum etiam quin conqueramur? atque ut dicamus cum David: Percute me Domine, quoniam in flagella paratus ſum: ſcio, quod cor ſuum manum ſuam dirigit; vel cum Job: voluntas tua eſt me pati, mea autem pati, quoniam tu vis. Multa parior, verum eſt, natura horret tribulationes, nihil magis ſenſibus illius, & guſtui adverſatur: ſed ſatis eſt me juſſu tuo pati; tunc enim dulces mihi ſunt tribulationes. Semper pati natura, ſenſus, ratio ipſa repugnant; ſed hoc vult Deus hoc unum ſufficit verbum, ut in anima Chriſtiana pax ſtatuatur. Ita loquitur vir Chriſtianus, qui patitur, ita etiam agit, & operatur. Numquid Dei voluntas perfectius in cœlum adimpletur? Beati quidem in cœlo jucundius Dei mandata faceſſunt, verum illa ne generoſius exequuntur? *P. Nepveu in Chriſtianis animadverſionibus*.

Cruces amandæ ſunt.

O nos beatos! ſi corda noſtra cruci ſuffigeremus: namque nonniſi illam amando ſecerni poſſumus ab infidelibus, qui oderunt illam. Cur autem non amemus id, quod nobis tanta procurat bona; quandoquidem in una cruce invenire poſſumus noſtram vim, ſolatium, & ſpem; & per illam deletum fuit peccatum, victus infernus, mors jugulata. Crux hæc a tot Prophetis prænuntiata, tot ſæculis a Martyribus perlata, & glorificata, ab ipſo J. C. conſecrata: hæc inquam crux noſtra eſſe debet gloria, & corona. Hæc pacem ſancivit terram inter & Cœlum, ne illam muſſitationibus, atque inobedientiis frangamus. Patienter hominum injuſtitiam non ſuſtinere, idem eſt ac divinæ adverſari juſtitiæ, ac amore Dei ſe indignum præbere, cujus ille certiſſima nobis præbet argumenta nobis præparans cruces. Morbi, bonorum jacturæ, conſanguineorum obitus, moleſtiæ, quas ab iis patimur, cum quibus verſari tenemur, acria temperamenta, ſpiritus difficiles, contradictiones, lites, proditiones, aliaque id genus ſexcenta, ſunt cruces nobis præparatæ. Recipiamus illas tamquam pignus amoris, quo nos complectitur Deus, tamquam mercedem, quam illius nobis juſtitia concedit, ſi juſti ſumus, vel tamquam pœnam, quam nobis infligit, ſi peccatores; Non ita cæci ſumus, ut injuſtitiam, & crudelitatem hominum præcipuam faciamus noſtrarum tribulationum cauſam; ſed per fidem noſmet ſupra rationem attollentes quærimus in Deo, & in nobiſmetipſis rationem earum rerum omnium, quæ nobis accidunt permoleſtæ. *Abbas Anſelmus.*

Tempus tribulationis eſt tempus probationis.

Aliorum virtutis periculum facimus, ut eam agnoſcamus; Deus hoc ipſum nobiſcum præſtat. Perſecutio, quæ in vos injuſte excitatur, contumelia, quæ vobis infertur, morbus, qui vobis habituales relinquit infirmitates, tribulatio cujuſcumque generis ſit, oſtendunt illi, quid revera ſitis. Si vobis patientia, & ſubmiſſio fuerit in criticis his occaſionibus, eſtis ex numero fidelium ſervorum, de quibus ſcriptum eſt: *Deus tentavit illos, & invenit eos dignos ſe*. Sap. 3. Sed e contra ſi conqueſti fueritis de Providentia, quæ vos affligit, ſi minus fideles extiteritis crucibus veſtris; *Jeſus Chriſtus* reprobat vos his verbis. *Et qui non accipit Crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus*. Matth. 10. Ne confidatis ergo neque in virtute veſtra, neque in conſiliis veſtris, antequam traducti fueritis per ignem tribulationis: ſine hoc experimento, homo neſcit, quid ſit. *P. Segneri.*

Quamplurimi vivunt in tribulationibus, quin tamen dici queat, illos JESUM CHRISTUM imitari. Patiuntur quidem, ſed inviti, & cum ſumma animi repugnantia patiuntur. Hoc non eſt ſequi Salvatoris exemplum. Ut veſtigia illius ſequamur, tribulationes noſtræ ferendæ ſunt a nobis eodem ſpiritu, quo ille tot varia mala perpeſſus eſt cum humilitate, lenitate, patientia, tranquillitate, perſeverantia, & ſi fieri poteſt, etiam lætitia. Hoc vere eſt ſequi Salvatoris exemplum, ac patienter ſuſtinere. Quinam eſſet tribulationum veſtrarum fructus, ſi muſſitaveritis, cum illas vobis Salvator immittit? vel ſi patientes non eritis, niſi cum optionis veſtræ illæ ſunt! Vobis met infligitis jejunia, & alias voluntarias auſteritates; & minima criminum veſtrorum objurgatio vos exaſperat, & vobis ferenda non eſt? Ut utiliter, & ſine querela patiamini, mementote, quam æquum ſit, vos pati, & crebra vobis met ipſis dicite; JESUS CRRISTUS pro me paſſus eſt. Gloriæ Dominus paſſus eſt pro terræ verme: Dominus pro ſervo, Princeps pro ſubdito, Deus pro homine. *Chriſtus pro nobis?* Cur ergo non patiar pro JESU CHRISTO? nonne alacriter mihi patiendum eſt? *P. Segneri in Medit.*

Nonniſi tua legens veſtigia, & tua ſequens exempla tuæ beatitudinis conſors fieri poſſum, Domine; igitur per viam tribulationum dumtaxat pervenire poſſum ad gloriam. Ardua via eſt per ſe, terminus autem eſt finis, & cumulus omnium deſideriorum, quæ mortalis concipere poteſt. Via crucis in ſe aſpera eſt, ſed cum oculos figo in veſtigia Dei, qui mihi præceſſit, poteſtne illa mihi videri intolerabilis! Nonne ibi invenire poſſum ſuavitatem? Me præceſſiſti, Salvator in via Crucis, & hoc ipſo illam mihi ſtraviſti, nulliuſque rei indigeo niſi gratiæ tuæ, & modicæ patientiæ. Aſſumpſiſti in te omnem ſeveritatem crucis, & nunc illam cum voluptate geſtare debeo: tandem enim quod intercedit diſcrimen ponderis tuam inter, & meam. Juſſiſti me legere veſtigia tua, non autem paribus gradibus tecum incedere. Verum ſufficit ne pati, Domine, ut tua ſequamur veſtigia? Peccator patitur, ſed te non imitatur. Impoſterum patiar non ſolum tecum, ſed ſicut tu, cum lenitate, patientia, & ſi mihi licebit, cum gaudio. *P. Segneri in Meditationibus.*

Perſecutio tutiſſimū eſt virtutis experimentum.

Sæpe virtuti id accidit, quod auro, quod defæcatum videtur, & adulteratum invenitur, poſtquam in fornaculam fuſoriam conjectum eſt. Quot fictitiæ virtutes in illis ipſis, quos ſpirituales, ac interiores vocamus! Hi nobis vere virtute præditi videntur, & tales eſſe perhibentur, quoniam moleſta perſecutio illos nondum probavit. Ne miremur ergo, quod ſeptem beatitudinibus, quæ videbantur hominem ad ſummum perfectionis gradum evexiſſe, JESUS CHRISTUS adjecerit: beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam: tunc enim ex eorum conſtantia innoteſcit, utrum virtutes eorum optimæ notæ eſſent, an ſequioris? Igitur JESUS CHRISTUS hic non recentem nobis proponit beatitudinem, ſed reliquarum

omnium probationem. Perfectionis enim cumulus non eſt facere omne illud bonum, quod in præcedentibus beatitudinibus continetur, ſed illud facere quicumque obices adverſentur. Ecce probatio, virtutis fornacula: *Si benefacientes ſuſtinetis: hæc eſt gratia apud Deum*. 1. Petri 2. Quam beati eſſemus, ſi nobis met perſuadere poſſemus, majorem beatitudinem noſtram eſſe pati perſecutionem propter juſtitiam, irrideri, calumniis peti, ad extremum ſupplicium trahi, eo quod fideles fuimus JESU CHRISTI diſcipuli! Sed non aſſequimur veritatem adeo ſublimem, & nos beatos ducimus, cum praxis virtutis aliquam nobis adfert utilitatem. Hic ſunt ſenſus Salvatoris. Vult etiam, nos exiſtimare beatos cum quidquid boni facimus cauſa eſt, ut nos homines perſequantur, cum propter opera noſtra bona intentatur nobis jactura omnium bonorum, exiſtimationis, vitæque ipſius. Vult Salvator, ut inter has tribulationes firmi, & immobiles maneamus in operibus juſtitiæ, alioquin nulla virtus eſt vera. *Probaſti cor meum, & viſitaſti nocte, igne me examinaſti, & non inventa eſt in me iniquitas*. Pſ. 16. Beati quod patiuntur! Quodnam effatum eſt hoc? Tu unus, Domine, id hominibus poteras perſuadere. Sed heu! fortaſſe exempla, & præcepta tua, Deus, nondum perfecte hoc mihi perſuadere potuerunt! *P. Segneri Tomo 5. Med.*

Cum a Deo petimus, ut nos a vitæ hujus malis liberet, ne credemus nos omnimodam liberationem aſſecuturos. Impaſſibilitas non eſt pro terra, ſed pro cœlo reſervata eſt: *ipſi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei expectantes redemptionem corporis noſtri*. Rom. 8. Itaque ne petamus a Domino, ne quid hic in terra patiamur, ubi lucrari debemus cœlum per tribulationes; ſed petamus dumtaxat ab illis præſervari malis, a quibus ſapienti illius providentiæ placuerit, nos liberare. Neque ideo credamus nobis eſſe petendum a Deo, ut a nobis mala ſummoveat. Si non judicat operæ pretium noſmet omnino liberare, poteſt illa mulcere internis conſolationibus, quibus nobis tolerabilia reddantur, quemadmodum ſolidis promiſſionibus ſuſtinuit Jacob ſub Eſau perſecutione gementem. Poteſt ſimul mala noſtra cum benefactis conferre, quemadmodum Danielis captivitatem compenſavit efficiens, ut inveniret gratiam apud Principem, a quo in compedibus detinebatur. Poteſt denique mutare malum in bonum majus; ita infortunium Joſeph venditi factum eſt illi fons boni, quod infinite ipſius conditioni præſtabat. Non debemus omnino petere a Domino, ut curſum inhibeat malorum noſtrorum; ignoramus enim, quid nobis profuturum ſit; ſolum orare debemus, ut conſulat tribulationibus noſtris eo modo, quem gloriæ ſuæ magis conformem judicaverit. Si nos liberaverit a malo, quod patimur, bonitati illius gratias agamus. Si nobis opem tulerit aliquo ex iis modo, quem explicuimus, gratias agamus & bonitati, & ſapientiæ illius, cujus admirabilia conſilia ſunt. Si etiam nos in tribulationibus noſtris relinqueret, adoremus juſtitiam ejus punientis noſtram iniquitatem. Neque enim de tribulatione tantum agitur, cum dicimus, *libera nos a malo*. Plerumque nobis utilius eſt illam experiri, quam eadem immunes eſſe. Unice igitur petendum eſt, ut liberemur a malo, hoc eſt ab eo, quod nobis poſſet obeſſe: aliter enim facere eſt bonum cum malo, & cum bono malum confundere. Verum malum, a quo liberari cupiendum eſt nobis, eſt impatientia in vitæ hujus tribulationibus, quibus probamur. Hæc omnium malorum noſtrorum origo eſt. O nos beatos, ſi a Patre cœleſti obtinemus patientiam, cujus tantopere indigemus, & quam fortaſſe numquam ab illo petimus! Hoc unum poſſidentes bonum dicere poterimus nos quodammodo ab omni malo liberatos eſſe. *P. Segneri.*

Ullum ne eſt vitæ hujus malum, quod pati non merear, poſtquam per ſummam infelicitatem læſi te, Deus meus? Audeo tamen a te illud deprecari, quandoquidem dignaris hoc precibus, lacrymiſque noſtris largiri. Sed nimis agnoſco humanæ conditionis miſeriam, ut ſperem me immunem futurum ab omnibus vitæ hujus malis. Hoc igitur unum peto ut mulceas mala, quæ patior, æque præſto ad gratias tuæ bonitati agendas, ſi me recreas; & ad colendam juſtitiam tuam, ſi me in tribulatione relinquis. Imo nimis etiam cognoſco neceſſitates meas, nec cupio omnino carere ſuppliciis. Tribulatio mihi eſſet pretioſiſſimum bonorum, ſi illam amare poſſem. Impatientia, ac murmuratio in tribulatione mala ſunt mihi timenda, & hæc ea mala ſunt, a quibus liberari flagito. In nomine filii tui confugio ad te, juſſu illius tibi omnia vota mea nuncupo; in illius meritis unice confido. Igitur finem facienti orationis hujus inſtaurandus

mihi eſt fervor meus, & revocanda omnis, cui par ſum, attentio ad rata facienda vota, quæ obtuli tibi, teſtandumque deſiderium, quod mihi eſt, ut adimpleantur. Hoc autem facio dicens: Amen. *P. Segneri in Meditationibus.*

Patientia tanti eſt meriti, ut Judæi potuerint agnoſcere Filium Dei pro Meſſia ex hac una virtute.

Patientia tanti meriti eſt apud Deum, ut in Salvatore fuerit, Tertullianus in lib. de Patient. ait, probabile divinitatis ejuſdem argumentum. Homo ita patiens, qualis erat Meſſias, o Phariſæi, vobis videri debebat aliquid amplius homine. *Hinc vel maxime, o Phariſæi! Dominum agnoſcere debuiſtis: patientiam hujuſmodi nemo hominum perpetraret.* Chriſtiana patientia ſecum fert meritum, quod mulcet omnem divinæ juſtitiæ ſæveritatem. Negare non poſſumus, nobis omnes ſubeundas eſſe pœnas, ut divinæ juſtitiæ faciamus ſatis propter ſcelera noſtra; & ipſa opera bona, quæ poſſumus exercere, non minuunt neceſſitatem patiendi, ut eadem reparemus. Igitur Dei juſtitia jus habet exigendi, ut ſolvamus pro injuſtitiis, quibus illam contempſimus; inter ſolutionem, ac debitum requiritur aliqua ratio; & per virtutem patientiæ hoc a nobis conflatum debitum diſſolvendum eſt. Ita ſarcimus damnum, quod intulimus ſupremo Dei Dominio per ſpiritum inobedientiæ, & quia per iniquitates noſtras jugum illius ferre detrectavimus. *P. la Peſſe Tomo 4.*

Semper nobis eſt cauſa credendi, Deum tanto libentius acceptare patientiam, quanto minus obnoxia eſt quibuſdam vitiis, quæ virtutes reliquas poſſunt in ſuſpicionem adducere. Illuſio, & amor proprius non ita facile eam corrumpunt. Fidelis, qui ſine querela patitur, proculdubio non patitur cauſa vanitatis. Fidelis qui hilari, & obſequenti animo ea ſubit ſupplicia, quibus illum afflictari Deus jubet, quam perfunctoriam utilitatem ſibi proponere poteſt, ſeſe illis ſubjiciens? Fidelis, qui ſua delere cogitat crimina per tribulationes, atque dolores, longe abeſt, ut ſe ipſum in ſuis malis quærat: & pro certo haberi poteſt, meritum illius omni cupiditate vacuum eſſe, & Deo non placere non poſſe. Sacrificium, quod illi per patientiam noſtram offerimus inter vitæ hujus tribulationes, illi ſemper acceptum eſt; quia hoc minus, quam cætera, patet imperfectionibus, quæ paſſim in omnibus ſanctis operibus noſtris inveniuntur. Poſſumus etiam aſſerere, Chriſtianam patientiam Deo æque jucundam eſſe, ac ſacrificium, quod illi obtulit Noe, poſtquam aquæ receſſerant a facie terræ, de quo Scriptura ita ait: *Odoratuſque eſt Dominus odorem ſuavitatis*, Gen. 8. *Idem ibidem.*

Chriſtiana patientia ſemper eſt cum tribus Theologicis virtutibus conjuncta.

Chriſtiana patientia emundat, & perficit charitatem. Nonne illa hujus tutior probatio eſt? Poſſet ne quis pro Deo pati, quin illum amaret? Charitas, quæ nullo nobis ſtat pretio, ſuſpicione non caret; in verbis conſiſtere nequit; ſed charitas, quæ jubet nos pati, neceſſe eſt, ut ſit in corde. Dicimus, nos amare velle Deum, & amare: vel facultatem mundo tribuamus non credendi nobis, vel pro Deo patiamur. Senſuum noſtrorum ſinceritas, S. Cyprianus inquit, apparere debet in ea fortitudine, quam præ nobis ferimus in ſuſtinendis adverſis. *Conflictatio in adverſis, probatio eſt veritatis.* Cur Sancti tanto ſtudio tribulationes conquæſiverunt? Quia ſe beatos putabant, ſi hoc pacto a ſe illum amari teſtarentur. Chriſtianam ergo patientiam charitas comitatur: nec ſatis magna quoque fides ei comes accedit; nam bene credamus oportet, ut multa patiamur, & firma, & conſtans fides neceſſaria eſt tranquille patienti: *Fidem obtulit Abraham Iſaac, cum tentaretur.* Ad Hebr. 11. Abraham credidit, ac ſtatim conſilium cepit filium ſuum ſacrificandi. Poſſumus quoque audacter aſſerere, chriſtianam patientiam ſemper innixam eſſe ſpei firmæ ingrediendi tandem aliquando in cœleſtis hæreditatis poſſeſſionem. Spes autem hæc adeo fortis eſt, ut olim vix Confeſſoribus, atque Martyribus tantum relinqueret ſenſum, ut paterentur. Speratur, S. Chryſoſtomus hom. in c. 5. ad Rom. inquit, quia ſuſtinetur; & ſuſtinetur, quia ſperatur. *Viciſſim altera parit alteram: tolerantia ſpem, ſpes tolerantiam.* Facile eſt ex his rationibus intelligere, cujus meriti ſit chriſtiana patientia, quia tres Theologicæ virtutes eam ſemper comitantur. *P. la Peſſe T. 4.*

Si eſſemus digni Filii Dei famuli, non ſolum patientiam habere deberemus nullis umquam adverſis labefactandam, verum etiam gaudium, & lætitiam eo quod aliquid nobis pro illo ſit tolerandum; & nihilominus conſilium capere non poſſumus aliquam in nobis ſubmiſſionem oſtendendi. Tantum abeſt, ut ibi aliquam guſtemus dulcedinem, ut animæ noſtræ amaritudo ſe ſe extrinſecus prodat per ſexcentos impetus divinæ legi contrarios. Non quæremus proculdubio in hoc ſtatu occaſiones aliquid propter Deum patiendi: has inventuri nequaquam laborabimus; at ſaltem ut chriſtianum decet, patiamur, cum Deus illas nobis ſummo beneficio procuret. *P. la Peſſe Tomo 4.*

In tribulationibus noſtris imitari debemus bonum latronem, qui ſua uſus eſt cruce ad pœnitentiam agendam.

Nemo a tribulationibus immunis eſt; hoc agitur ſolum, ut quæramus, quomodo illæ ſint ſuſtinendæ. Suſtinere, ut JESUS CHRISTUS paſſus eſt, minime poſſumus; hic innocens erat, nos innocentiæ noſtræ jacturam fecimus. Nolumus proculdubio pati, ut Latro malus. Nocentes ſumus, ut ille, ſed in ſceleribus noſtris mori nolumus. Igitur imitandus nobis eſt Latro bonus, qui ſua uſus eſt cruce, ut ageret pœnitentiam, & Filii Dei gratiam mereretur. Ne quæſo nobis reddamus inutiles per impatientiam noſtram pœnas, quas evitare non poſſumus, & quandoquidem velimus, nolimus, crucifixi eſſe debemus; non inviti ſimus, ad criminum noſtrorum veniam obtinendam. Quæ noſtra calamitas eſſet, ſi nobiſmet cœlum clauderemus eadem clavi, quæ ſola illud nobis reſerare poteſt? Meremur quidem noſtram geſtare crucem, quoniam nocentes ſumus. Num illi ſuffigemur, ad noſtrum interitum in ſocietate Redemptoris noſtri, qui nos vult ſalvos facere; aut in illa aliorum, qui nocentes ſunt æque, ac nos, & qui ſalvantur? *Idem ibidem.*

Nullo ſane in diſcrimine habeat oportet ſalutem ſuam, qui nihil pati vult, & illam omnino negligat opus eſt, qui male patitur. Querelæ gemituſque noſtri exaſperant noſtras paſſiones, & hæ pro nihilo cenſentur coram Deo; cum impatienter ſuſtinentur; ſed dicam amplius; hæ nos efficiunt etiam dignos ultionibus ſuis, cum impatienter feruntur. Tu es, Domine, ſupremus vitæ noſtræ Dominus. Tuum eſt de hac ſecundum beneplacitum tuum diſponere. Quodcumque ſit id quod tibi præcipere placeat, noſtrum eſt tua capeſſere imperia, quin obliviſcamur tuæ magnitudinis, & obſequii noſtri. Sed Domine quandoquidem agitur, ut te mereamur intueri, nullam habe affectionum, ac timorum noſtrorum rationem, ſuſtine gratia tua noſtram imbecillitatem; neque nobis parcas. Sine, ut eamdem tibi orationem fundamus, quam olim ſervus tuus Auguſtinus. *Hic ure, hic ſeca; modo in æternum parcas. Idem ibidem.*

Exemplum patientiæ, quam oſtendit Job in adverſitatibus.

Vitæ Sanctimonia, quam duxit Job, cum dives erat, perfectaque valetudine fruebatur, magnam illi nominis celebritatem, ac laudem comparavit; ſed ſathanas, ut S. Chryſoſtomus animadvertit, non teſtabatur aliquo in pretio ſe illius habere virtutem, quia videbat illum proſpero rerum curſu gaudentem; cumque illum omnibus ſuis bonis ſpoliaverat, nequaquam admiratus eſt graviſſima ejuſdem heroicæ patientiæ in paupertate exempla, nam licet pauper, nihil adhuc patiebatur in corpore. Sed cum, permittente Deo, acerrimis doloribus affectus fuit, & a pedibus ad verticem horribilibus ulceribus tectus, quin vel minimum quidem ejus labefacteretur conſtantia, dæmon ne verbum addidit quidem, ſe victum credidit, neque auſus eſt amplius laceſſere virum cujus virtus æque firma in adverſis viſa eſt, atque in proſperis. *Ex Operibus Aſceticis Bloſii, & a Ponte.*

Quænam ſunt effæminatorum fidelium impatientiæ? quas in familia turbas non cient? Minimum quid eos laceſſit, illis ſcandalum adfert, eis negotium faceſſit. Inceſſanter ſtudendum eſt, quid ſit in illis jucundius, eorum ingenio accomodari debemus, alioquin querelæ, ac gemitus ſine fine totam domum ſuſque deque miſcent. Homo hic nimis delicatus ſæviet contra filios, & ſervos, quantulumcumque ipſi afferatur incommodum. Mulier hæc quodammodo in mollitie inſepulta erit ingenio moroſo, ac non ferendo, ejus voluptas, ac genius divinandus erit, & quidquid adnitaris, ut illis placeas, nihil illi arridebit. Id genus mortales ſemper multa patiuntur, quantumvis illis parum patiendum ſit; naturalis quippe eorum impatientia auget minimos dolores ultra fidem, & ſimilis parvulis machinis, in quibus ars tot minutis indiget curis, ut accidant e ſententia: ſi minima pars extra locum exilit, ſi non ſatis accurate attrectentur, jamjam inordinatæ ſunt, non moventur amplius, ac brevi, nec ſine rumore, diſſolvuntur. *P. la Peſſe Tomo 4.*

Chriſtianus patienter ſuſtinere debet omnia mala tum vitæ, tum mortis.

Procul abſit a famulo Filii Dei hæc indigna reprehenſionis cauſa, amittere in levibus, inutilibuſque curis patientiam, quæ mala etiam graviſſima debent ſuſtinere. Quomodonam inertes hi ſervi Domini crucifixi cœlum lucrarentur, ſi ad illud lucrandum opus eſt violentia? Si mortale bellum ſenſibus omnibus eſt inferendum? Si caro ipſa cum ſuis concupiſcentiis eſt crucifigenda? Si Domino obſequendum eſt in teterrimis omnibus vitæ calamitatibus?

Si

Si ferendæ ſunt perſecutiones, paupertas, mors ipſa, potiuſquam innocentiæ detrimentum faciendum? Si noſmet objicere debemus ſæviſſimis doloribus, atque tormentis ad fidem, & gratiam ſartam tectam tuendam? Patientia, quam a nobis exigit Chriſtianiſmus, afficere debet, ut victoriam referamus de morbis, doloribus, contemptu, injuriis, contumeliis, paupertate, jactura bonorum honorum, dignitatum, verbo de omnibus maledictæ terræ hujus calamitatibus. Mirum! non poſſumus citra impatientiam leve malum pati, malum momenti unius, acus punctura nobis faceſſit negotium. Unquam ne Sancti erimus, Unquamne ad Beatorum ſedem perveniemus, cum in levibus tribulationibus adeo ſimus impatientes? Juge noſtrarum voluptatum ſtudium, ac timor earum amittendarum nos ad impatientiam adducit. Quo minus patimur, eo delicatiores evadimus, quo minus volumus, eo minus poſſumus pati, *P. la Peſſe Tomo 4.*

Impatientem eſſe eſt oſtendere imbecillitatem ſuam ac modicam rationem.

Quam jacturam non facit fidelis, qui impatientia laborat in tribulationibus ſuis. Amittit ille ſolatium, quod eas mulcere poſſet; amittit meritum, quod illas poſſet remunerari. Auget etiam dolorem ſuum, ac ſe privat fructibus omnibus, quos inde percipere poſſet. Ægritudo, quæ Chriſtianiſmi ſpiritum ſauciat, efficit, ut dolor ſit ardentior, & ſimul inutilis. Patientia virtus eſt, quæ animam confirmat contra dolorem, licet non auferat nobis ſenſum malorum noſtrorum. Febris, injuria, fortunæ inverſio ſentitur, tota licet adverſetur ſapientia, & vis humanæ rationis; ſed nullum eſt malum, quod patientia non mulceat, ſeu quod nobis hanc ſervat præſentiam ſpiritus, quæ neceſſaria eſt ad prudentes animadverſiones faciendas, ſeu quod dolorem ſuſtinentes nos quodammodo indurat. Philoſophia etiam Ethnica in patientia nanciſcitur ſuorum malorum ſolatium; quamvis naturalis fortitudo, & inanis gloria ſola ſint arma, quibus utitur ad reſidendum. Admiramur Ethnicum, qui ſine querela patitur; cum nobis perſuaſum ſit, ipſum conſtantiæ ſuæ doloris ſui remedium debere, *P. la Peſſe Tomo 4.*

Quin vobis proponam validas omnes rationes, qua nobis ob oculos ponit Evangelium, ex ſolo naturæ lumine cognoſcere poſſumus, omnem hominem, qui in vitæ laboribus, & adverſis rapitur impatientia, exacerbare malum ſuum, & impatientiam nil amplius efficere niſi, ut magis patiatur, ac ſuam crucem eo graviorem inveniat, quo iniquiori animo eam geſtat. Quid proſunt, amabo vos, hæ querelæ, hæ amaræ lacrymæ, hi geſtus? motuſque incompoſiti? Aliud ne ſunt, quam recenti doloris cauſæ, aut effectus? Dolor, quin omnibus hiſce infirmitatis indiciis minuatur, magis, magiſque augetur, & præter malum, propter quod impatientia corripimur, inviti pati etiam debemus malum impatientiæ. Nequaquam ſarcies damnum, quod accepiſti, in impatientiam erumpens. Nequaquam efficies, ut vir tuus, uxor, filius aliam vivendi rationem ſequatur. Anni temporum curſum non immutabis; non inſpirabis ſpiritum lenitatis inimico, de quo tanta tibi eſt conquerendi cauſa, ſi obſecutus fueris dolori, quem ille tibi peperit, & cogeris etiam pati moleſtas, violentaſque ſenſus hujus impreſſione. Non objicio vobis rationes, vel a Fide, vel a ratione depromptas; rationem dumtaxat poſco, quæ vos invicta muniat patientia, & vos in omnibus vitæ hujus pœnis ſuſtineat. *Idem ibidem.*

Quæ conſolatio fideli per regiam Crucis viam incedenti dicere poſſe: patior, ſed Deus me docuit pati; patior cum Deo patiente. Exemplum, & ſocietas Salvatoris patientis, non ne lacrymas noſtras deberent abſtergere, cum patimur? Nonne ſuſpiria noſtra cohibere deberent? Pauper ſum, & Salvator meus fuit pauper, dicendum eſſe Fideli in tribulationibus ſuis. Contemptus, derelictus, exagitatus ſum. Filius quoque Dei hæc eſt perpeſſus. In diutina infirmitate langueo; Salvator meus ſub flagellis, & ſpinis totum effudit ſanguinem. Redactus ſum ad id, ut dies meos tranſigam in obſcuritate meo nomine indigna, & avis meis: Salvator meus non ne mortuus eſt in patibulo, ipſo meridie, & inſpectante natione Judæorum, quæ tunc ad proximum paſcha celebrandum convenerat? O Salvator crucifixe! Si hoc infame ſupplicium, quod pati voluiſti, non mulcet pœnas noſtras, nullum meremur ſolatium, qualibet conſolatione ſumus indigni. Scitiſne Chriſtiani, S. Auguſtinus in lib. 2. de fide ait, cur Redemptor veſter ploraverit, cur tot injurias paſſus fuerit? ut vos minus ploretis, & injuriæ, quas fertis, medico, vos afficerent dolore. Servus, qui videret dominum ſuum catenis onuſtum; quin quereretur, compedes ſuos exiſtimare poſſet nimis graves? Subdito, qui iiſdem ſuppliciis afficeretur, quibus Rex, nunquid jure conqueri poſſet. *P. la Peſſe Tomo 4.*

Ratio patiẽter ſuſtinẽdi eſt oculos figere in Filiũ Dei patientẽ.

Fatendum eſt magis, ut Chriſtianum hominem decet, vitæ hujus mala ſuſtineremus, ſi Deum patientem cogitaremus. Sed id minime cogitamus; nos triſtitia; & mæror occupat, neque figimus oculos in Crucifixum. Hoc ipſum nobiſmet ipſis exprobrare debemus. Nos vero voluptatibus tantum vacamus, & terræ bonis, quæ amittimus, atque impatientiæ noſtræ a nobis amovent ſolatium, quod exemplum Dei nobis offert. Patiamur ergo, ſine conſolatione patiamur; ita metentur injuſta, & violenta conſilia, quæ ſequimur, domum noſtram a paupertate, ſurdibuſque revocaturi; impatientia, in quam noſtra nos conjicit infirmitas; Detractio, calumnia, odium, quæ nos ad litem perſequendam impellunt, nobis ſolatio non erunt. Non mirum eſt, ſi nobis cum hæc impatientia patientibus noſtræ tribulationes augentur. *Idem ibidem.*

Propter Dei imperium, poſt Deum, cum Deo patimur. Hoc ſatis eſſet ſuperque ad malum noſtrum imminuendum, ſi Chriſtiani eſſemus, & rationis participes: Poſſumus etiam, & debemus pro Deo pati. Conſideratio hæc deberet auferre, quidquid amaritudinis malis noſtris ineſt. Cætera prætermittamus, quæ ad patientiam nobis procurandam ſunt idonea. Bonorum, malorumque commixtio in hoc mundo neceſſaria eſt, ergo inevitabilis eſt. Subſiſteret ne rerum natura, ſi dies ſudi ſemper riderent. Ipſis etiam procellis, & tempeſtatibus indigemus. Nulla eſſet inter homines ſocietas, ſi nihil eſſet, quod ſinguli cuperent. Igitur felices eſſe oportet, & infelices. In terra ſumus tamquam in mari. Quid fieret, ſi nobis idem perflaret ventus? Numquam e portu ſolvere, neque in portum reverti, neque aliam tenere viam poſſemus. Divina Providentia numquam tribulationes permitteret, ſi vires noſtras excederent. Hæc mortalis hujus vitæ pœnas diſtribuit ſecundum ea, quæ neceſſario pati debemus, ut ſalutem aſſequamur. Sed mihi fortaſſis inquies, incipiebam fortunas meas conſtituere, cum hoc mihi accidit malum; ſed plura bona opera faciebam, cum optima fruebar valetudine; ſed antequam nominis fideique jacturam feciſſem, eo in ſtatu verſabar, ac majorem Deo gloriam conferre poteram. Ne tot rationes in medium proferamus contra Providentiæ mandata. Hæc non agit more andabatarum. Scit Deus, quid agit, cum vos affligit, ac neminem a cruce ferenda diſpenſat. Jeſu, injuſti omnes pati debent. Si boni tantum paterentur, quampluribus virtus non ſatis videretur amabilis. Si mali tantum perferrent, quamplurimi virtutem ob fluxa, fragiliaque bona tantum amarent. Tribulatio illos perficit, hos corrigit; omneſque ſimul ſub manu Dei omnipotentis humiliat. *P. la Peſſe Tomo 4.*

Ut Deo placeamus, non opus eſt, ut inſignia facta operemur ſatis eſt patienter tribulationes ſuſtinere.

Fatendum eſt homines longe aliter a Deo ſentire de meritorum veritate. Ut operemur aliquid, quod inſigne, ac præclarum ſit in oculis hominum, plurima facienda ſunt, eaque cum fulgore quodam, qui oculos perſtringat; opus eſt, ut numerus ſpectatorum, plauſuum rumore, felicitas etiam, quæ conſequitur, mortalium excitent æſtimationem. Si hic deeſſet apparatus, hæc pompa, non ſatis æquum ferretur judicium de præſtantiſſimis factis: hæc in oblivione permanerent, niſi vanæ circumſtantiæ illa inde eriperent. Ad meritum aliquod coram Deo acquirendum, ad radios divinorum oculorum in noſmet convertendos ſatis eſt ſcire patienter ſuſtinere vitæ hujus labores, & adverſitates. Pauciſſimi ſunt, qui nequeant per tribulationes Dei ſui gratiam promereri; immo dicere poſſumus, hanc tutiſſimam eſſe rationem placendi illi; quandoque quo magis aliquis patitur, & majori cum patientia patitur, eo magis eſt exemplo Filii Dei patientis conformis. Mortalis obſcuro loco natus, pauper derelictus, qui in conditionis ſuæ caligine conſtanter ſuſtinet pœnas, quas illi evenire Providentia permittit, hic proculdubio a Deo plurimi habetur; omnes iſtæ fallaces humanarum actionum ſpecies nequaquam eas divino obtutu dignas facit. *Idem ibidem.*

JESUS CHRISTUS fuit objectum ſpei, & amoris noſtri in malis, quæ in hoc exilio pertulimus; acertiſſime objectum erit noſtræ felicitatis in patria cœleſti. Hæc nos munit ſpes, & in hujus vitæ tribulationibus ſuſtinet inter mortalium obices, & corrupti ſæculi nequitiam, ubi omnes veri ſervi Dei tot adverſitatibus patent. *In hoc duramus, in hoc perſeveramus, in tanta malignitate hujus ſæculi*: ait D. Auguſtinus. Hæc noſtra eſt conſolatio, & fortitudo, donec in cœlo patientiæ noſtræ fructibus perfruamur. Quis hoc auderet ſperare, ſi veritas ipſa, quæ id pollicita

eſt;

eſt; hoc ipſum non teſtaretur? *Abbas de Jarry in Sermone quodam de Magnalibus CHRISTI JESU.*

Occaſiones quas in variis mundi conditionibus habemus Chriſtianam exercendi patientiam.

Arduum eſſet ſignificare, quibus conſolationibus in vita ſuæ fine replebuntur Chriſti Fideles, qui patienter ſuſtulerint pœnas ſtatui ſuo inhærentes. Bonus ille faber, qui ſine querela vigilias, ſudores, ipſam etiam paupertatem labori ſuo ad nexam patiebatur, quo cumulabitur gaudio videns ſe ſumma cum ſuavitate a Salvatore ſuo recipi? Verecundus ille pauper, qui ſemper æquali oris habitu, ſemperque decorum ſervans, omnes irreprehenſibilis miſeriæ ſenſus jugulabat, ut placeret Deo, quam beatum ſeſe putabit, cum per tot mundi Principes qui rerum omnium opulentia fruebantur, pertranſibit honoribus opibuſque cumulandus? Miniſter ille, qui gratiæ, atque patrocinio deſtitutus, ſæpe optime perfunctus fuit muneribus ſuis, cum alter ob domini ſui favorem referebat lucrum; quibus gratiarum actionibus non celebrabit Dei Filium, cui uni ſuas tribulationes, ſuamque fortunam commiſit? Sponſus hic, qui ſilens perpeſſus eſt ſecretam domeſtici alicujus rabiem, morum acerbitatem, libidinem, faſtidia, contumelioſos furores, negotia ſpinoſa, fortunæ ſubverſionem, jacturas, calamitates, frequentia mala quin umquam ſuo obſequio permittat conqueri de ſtatus ſui adverſitatibus, quin ut quam, niſi ad altarium pedes conquirat aliquod dolori ſuo lenimentum, quo non afficietur gaudio habens ſuæ fidelitatis, conſtantiæque teſtem Deum ipſum, qui ejuſdem futurus eſt remunerator? Nulla in terris conditio eſt, ubi ſublimis hæc Chriſtianæ patientiæ conditio egregie non poſſit exerceri. Tot nobis ob oculos hujus rei obverſantur exempla, ut ſe ipſum excæcare debeat, qui hæc nolit intueri. *P. la Peſſe Tomo* 4.

Quid ſit patientia, & in quo ſita ſit.

Patientia virtus eſt ſimplex, & ſine fulgore, ſubdita ſub profundæ humilitatis integumentis, genita, vel ſuffulta ſpe, in charitatis ſinu innutrita, & ſemper occupata in perquirenda gloria, quam mundus ignorat, quam ſuperbi contemnunt, & quam Deus coronat. Hæc efficit, ut animam noſtram poſſideamus, ut loquitur Evangelium, Hæc una procurat tranquillitatem, fovet ſpiritus manſuetudinem, pacemque inter homines tuetur. Ita tantis hiſce bonis ornata, adeo utilis mundo, adeo pretioſa cum ſit nihilominus homo nequit ſeſe legibus illius ſubmittere, nihilque difficilius eſt, quam illum ad virtutis hujus praxim inducere. Omnia ſtatim primo intuitu conſpirare videntur ad illum deterrendum. Naturales illius affectiones nonniſi ſuperbiam inſpirant; cumque ejus natura intus, & in cute non aliud ſit quam infirmitas, ſemper in jugi ſollicitudine, & agitatione verſatur. Denique ſeu per ſuperbiam, ſeu per imbecillitatem, homo nequit ſe ſuis ſubjicere tribulationibus; omnia illi creant impatientiam, & leviſſima etiam mala illi non ferenda videntur. Quomodo igitur loquamur ſermonem, qui non poteſt intelligi; Quomodo virtutem, adeo parum cognitam repræſentemus; Et quomodo illam amabilem exhibeamus, quæ ſeſe non oſtendit niſi ex iis locis, quos fere ſemper horremus, ac faſtidimus. *Sermo quartus Academiæ Ann.* 1687.

Quemadmodum Dei Filius præſtantiſſimum nobis eſt exemplar patientiæ, & cujus pro virili parte ſequi debemus exempla, videamus quæſo, quænam fuerit illius ſuavitas, atque tranquillitas in omnis paſſionibus ejus. Nonne ad illius patientiam probandam omnia adhibita ſunt, quæ Judæorum nequitia, & Dæmonum rabies excogitare potuit? Amaris irriſionibus illuſus fuit; teterrimis calumniis petitus fuit, quæſitum fuit illum fictis teſtibus opprimere, & ille obmuteſcens has omnes audit irriſiones. Has audit, quin hiſceret, nihil fallacibus teſtibus objiciens niſi ſuam innocentiam, ſiluit; nil protulit, *quaſi agnus coram tondente ſe, obmutuit*. Iſai. 53. Denique ductus fuit ad mortem tamquam ovis, quæ mactatur, quam verbum proferat, quin conqueratur quin prætergrediatur hunc ſuavitatis & tranquillitatis characterem, qui in omnibus vitæ ſuæ actionibus enituerat. Ecce quænam fuerint Salvatoris Mundi paſſiones. Ecce quæ illius fuit patientia. Ecce ſcientiam Sanctorum, & viam unicam, in qua incedere debent omnes illi, quos prædeſtinavit Deus, ut ſint conformes imagini filii ſui, quemadmodum loquitur Apoſtolus ad Rom. 8. *Sermo Idem.*

Licet nobis ſit perſuaſum de tribulationum neceſſitate nihil prætermittimus ut illos evitemus.

Quamvis omnino nobis perſuaſum ſit, tribulationes in hac vita inevitabiles eſſe, tamen in praxi quos obices non invenimus? Indeſinenter conamur excutere jugum Domini; nullum non movemus lapidem, ut fictam pacem nobis procuremus; omnibus utimur artibus, ut citra ſcrupulum in mollitie, & otio vivamus, & tandem nobis accidit, ut evitare valeamus quidquid nobis incommodat, noſmet non redigimus ad perferendas ærumnas, ac tribulationes, quæ accidant nobis, niſi cum impatientia, quæ efficit, ut miſeriores, nocentioreſque evadamus, Hoccine eſt in praxim redigere hanc ſaluberrimam Crucis ſcientiam? Hoccine eſt vere credere, Dei Filium pro nobis paſſum fuiſſe, relinquentem exemplum, ut ejus veſtigia ſequamur? Crucem deferre, & illam ſine amore deferre eſt ne veri Chriſtiani character: Et nihilo ſecius fieri nequit, ut ad æternorum bonorum poſſeſſionem perveniamus, niſi antea potenter ſuſtinuerimus vitæ hujus mala, niſi antea in corde noſtro jugulaverimus omnes ſenſus vitii, quod huic virtuti adverſatur. Coronam immortalitatis iis tantum largietur, qui propriam voluntatem ſuam noverit ſuperare, ut in omnibus divinæ tantum Providentiæ mandata ſequantur. *Sermo quartus Academiæ anni* 1687.

Viſi ſunt quidam pauperes, & divites, nobiles, & ignobiles, omnium ætatum, ſexuumque mortales animo forti perſecutiones ſuſtinere, conſtanter tentationibus reſiſtere; injurias cum humilitate pati, & ubicumque oſtendere, ſe vera charitate ſuccenſos, quæ non æmulatur, non irritatur, omnia ſuffert, omnia ſuſtinet. quidquid adnitantur inimici, quibus ſepta eſt. Quid egit Sanctus vir Job, ne vinceretur ab hoſte in excuſſu malorum ſuorum? Quomodo hic homo Dei perpeſſus eſt jacturam maximarum bonorum, quæ poſſidebat? Quomodo excepit triſte nuntium mortis omnium filiorum ſuorum, pernicioſa uxoris conſilia, amicorum irriſiones, horribilem plagam, in qua permiſit Deus, ut a Sathana percuteretur? Inconcuſſa firmitate ſervavit hanc ſimplicitatem, rectitudinem, animæ æqualitatem, quæ in oculis Dei fecit illum digniſſimum, in quo ille ſibi complaceret, & quoniam habuit patientiam numeris omnibus abſolutiſſimam, recepit perfectam valetudinem, ac duplum eorum bonorum, quæ amiſerat. Quibus adminiculis uſus eſt David, ut adeo conſtans eſſet in contumeliis, & inſidiis, quas vitæ ſuæ tendebantur a Rege Saul, nolens de hoc pœnas ſumere, licet in manus ſuas incidiſſet? Qua animi moderatione uſus eſt erga Semei, cujus facile punire poterat impotentiam, idque in ſumma cum æquitate? Per ſublimem hanc patientiæ virtutem, ſemper æqualiter ſe ipſum ſervavit, & triumphum egit inter eos naturæ motus, qui plerumque in anima cient naturale deſiderium ultionem ab inimicis reſpoſcendi. *Ex eodem ſermone.*

Chriſtiani officium eſt patienter omnes vitæ tribulationes ſuſtinere.

Chriſtiani hominis patientia reſiſtere debet omnibus tribulationibus, laboribus, & vitæ calamitatibus. Mirum eſt, quod ſuperare nequeamus naturalem antipathiam, quod omnis fortitudo, & Religio noſtra excidat, ubi nobis ingruat faſtidium aliquod male conceptum, libido quædam ex mera imaginatione perfecta negotium aliquod nullius momenti. Quid? malumus noſmet objicere teterrimis ultionibus Dei, quam pati contemptum, in quo ſumus; impetum, quo conantur fortunam noſtram labefactare, humiliationem, leve incommodum? Adeo delicati ſumus, ac facile, ut cuicumque cedamus adverſitati, ut non modicum nobis faceſſeret negotium, ſi juberemur dicere, quid noſtram irritet iracundiam; & eadem vanitas, qua odium noſtrum excitatur, efficeret proculdubio, ut noſtræ ægritudinis cauſam taceremus. Quoties aliena merita, & felicitas nobis impatientiam, ac tumultum pepererunt? Quoties contra fratres noſtros exarſimus, eo quod a nobis exigebant, quo illis debebatur? Nonne in illos inſurreximus, quia illis honorem adhibere cogebamur? Cum honori noſtro labes eſſet inuſta, familiæ noſtræ fama ignominiæ punctis ſuffixa, omnia bona noſtra erepta, tamen ſi Chriſtiani ſumus, ſi legem evangelicam obſervare volumus, omnia patienter ſuſtinere debemus & in omnibus tueri divinam hanc virtutem, ſi adhæremus Deo, ſi in illius cultu vivete, & mori volumus. *P. la Peſſe Tomo* 4.

Chriſtiani infirmi, pauperes, derelicti, qui ſemper eſtis ſcopus omnium infortuniorum, & eſſe videmini toti mundo contemptui, cogitate eum, qui hoc pacto veſtram exercet patientiam, Deum eſt infinite ſapientem, qui omnia videt mala veſtra interna licet, & ſecreta, cui eorum cauſæ, ac remedia comperta ſunt, qui novit quidquid virium vobis ineſt, & quid illa nobis gratia ſua valeat conferre, quem denique nihil latet. Vobis perſuaſum ſit, illum numquam vos tentatum iri, quin ſciat; quomodo inde poſſitis proficere. Semper ille tribulationes viribus veſtris aptabit, deque umquam deerit vobis corporis valetudinem largiri, cum bona valetudo vobis erit morbo, utilior. Omnipotens eſt; nulla igitur mala ſunt, a quibus vos nequeat præſervare, & ſi quod eorum vobis accidere permiſerit, non deerit, quominus vos inde eripiat. Infinite bonus eſt: amat eos: qui ſui ſunt pluſquam de ſeipſos ement illi; ejuſque ſcopus unus eſt, nos ſanctificare quocumque in ſtatu ſimus. *Ex Operibus Aſceticis Bloſii, & a Ponte.*

Dei Filius nemini amicorum ſuorum calicem ſuum propinat ſine aliqua dulcedini commixtione.

Cum infirmitas corporis eo uſque augetur, ut ſpiritum abjiciat, fit nonnunquam adeo intolerabilis, ut cum Davide exclamare teneamur: *Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ uſque ad animam meam*, Pſ. 68. Tunc aquæ iſtæ amaræ tribulationum non corpus ſolum inundarunt, ſed anima ipſa naufragium feciſſe videtur. Cient timores, ſollicitudines, tædia, curas ſine numero. Si quando igitur accidit, ut in hoc ſtatu inveniamur, noſmet conſolemur hac cogitatione, nos haurire calicem, quem nobis offert Deus, nos illum merum bibere, quin quidpiam admiſceamus, quod illius temporet amaritudinem; nos denique illum eodem pacto bibere, quo Salvator ipſe illum exhauſit non ſolum ad noſtram eruditionem, verum etiam ad criminum noſtrorum ſatisfactionem. Quid vobis majorem afferre poteſt conſolationem, quam videre, nos ſimiles eſſe Filio Dei unigenito, & nos cum illo cruci eidem eſſe ſuffixos. Omnem immo locum habemus ſperandi, quod ſi voluerimus ſerio eidem ſimiles fieri, ipſum numquam defuturum, ac labores noſtros ita ſublevaturum, ut leviſſimi nobis videantur. Quia licet hauſerit oblatum calicem, quin vellet ei quidpiam commiſceri, quo dulcorari poſſet, amicis ſuis non ſine quadam dulcedinis mixtione propinare conſuevit. *Ibidem.*

Sumus ne omnibus infortuniis obnoxii? Premimur ne egeſtate, & horribili inopia omnium præſentis vitæ bonorum? Laboramus ne diuturna ægritudine, jamdiu in lectulo jacentes? Fingamus nos eſſe ad Salvatoris latus crucifixos. Fateamur, quod ille facit, eſſe juſtiſſimum, & nos id mereri, quod patimur. Adoremus Dei juſtitiam, & præ nobis feramus integram mandatis illius obedientiam, Proculdubio tunc in imo corde nobis dicet verbum conſolationis, quod nobis eſſe poterit velut arrha, quod, cum crucifixi ſimus cum dilectiſſimo ejus filio, nos quoque glorificatum iri cum illo juxta Sancti Apoſtoli verba: *ſi compatimur, & conglorificabimur*. Crux illius lignum eſt miraculoſum, quod amaras aquas convertit in dulces. Si mente recogitaverimus Paſſionem Filii Dei, S. Gregorius ait, nihil eſt adeo moleſtum, quod non patienter, imo etiam hilaritater toleremus. Maris aquæ omnem amaritudinem ſuam amittent, & dulces fient tamquam lac, ubi cum cruore Agni fuerint permixtæ. *Ibidem.*

Præſtans ratio ad patientiam nobis ſuadendam eſt cœli poſſeſſio, quæ illius pretium eſt.

Quæ preſtantior homini Chriſtiano ſalutem ſuam operari cupienti ratio, quam noſſe eam remunerationem, quam præparat Deus illis, qui inter vitæ hujus ærumnas, laboreſque patientes extiterint? Quid enim deſiderabilius accidere poteſt homini, qui ſecundum Salvatoris mandatum poſſedit animam ſuam in patientia. *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras*. Luc. 21. Quid inquam huic deſiderabilius eſt poſſeſſione cœli cum omnibus opibus, & deliciis ejus; poſſeſſione Dei ipſius Creatoris divinarum illarum ſedium; jucunda ſocietate cœleſtium ſpiritum, & omnium beatorum. Macti ergo eſtote hac animi præſtantia fideles, qui ſuſtinetis, qui circum undique pœnis laboribuſque ſepti eſtis. Poſſidete animas veſtras in patientia, & opus eſt perfectum, S. Jacobus ait; *Patientia opus perfectum habet*. Jacob. I. Vitæ hujus tribulationes patienter ſublatæ nobis promereri debent æternum gloriæ pondus. Tribulationes, ærumnæ, adverſitates uno tantum momento duraturæ ſunt; ſed inde per patientiam noſtram recepturi ſumus bonum nunquam deſiturum. Patientia hæc nobis excellentiæ & beatitudinis gradum præter omnem menſuram acquiret. Ceſſabunt labores noſtri, ſed ſi eos patienter pertulerimus, bonum, quod recipiemus, numquam ceſſabit. *P. la Peſſe Tom.* 4.

Dicere poſſumus cum illuſtri patiente Job: *Hæc mihi ſit conſolatio, ut affligens me dolore non parcas*. Job 6. Hujus exemplum ſecuti cupiamus, quæramus hanc conſolationem, ut tribulationibus urgeamur in terra cœlum lucraturi. Deum exoremus, ut nobis non parcat, ut nos ſine lenitate percutiat; ut poſtquam nobis non ſecus ac Patriarchæ huic omnia ademerit bona, bonam quoque adimat valetudinem; ut tribulationibus addat contumeliam; modicum nobis ſupereſt hic tempus vivendi, atque æternum in gloria vivemus. Dolores corporis, animæ triſtitia, tædia violenta, invidi perſecutores, ſuperbi, furenteſque mariti, uxores luxui, & voluptatibus deditæ, filii humanitatis expertes, terra ingrata, ac ſterilis, mala publica, fortunarum, domorumque everſiones, curæ, ægritudines, miſeriæ, quæ nos circum undique premunt, vos non ultra metuimus, neque enim conſtantiam noſtram labefactabitis. Feſtinate, irruite, poſt aliquot momenta non eritis amplius; neque turbabitis unquam pacem, ad quam nos perducitis. *Idem ibidem.*

Ratio patienter ſuſtinendi eſt cogitare Dei Filium pro nobis paſſum fuiſſe.

Recogitate, inquit Apoſtolus, illum, qui tot contumeliis, & injuriis affectus fuit a peccatoribus, ne animum abjiciatis, cum vobis incidunt mala. Cogitemus ſane, & videbimus, nos in illius comparatione modicum pati. Patiamur, ut ille paſſus eſt, utque nos magis ad patientiam ipſius imitandam inflammemur; fingamus, cum ægrotantes in lectulo jacemus, cubile noſtrum eſſe crucem, pharmaca eſſe fel, & acetum: phlebotomias vulnera in manibus pedibuſque; capitis dolorem ſpinarum coronam, & ſic de aliis infirmitatibus quas patimur; & certi ſimus, nos prout participes erimus paſſionum Chriſti, hunc nobis gratias collaturum, quarum ope malum noſtrum non ſolum ſine mærore, verum etiam cum gaudio ſuſtineamus. *Ex Aſceticis Operibus Bloſii, & a Ponte.*

Exceſſus Charitatis Salvatoris noſtri omnino admirabilis eſt. Nullam a quoquam opem, aut ſolatium recipiebat; imo ſe ita derelictum videbat, ut per Prophetam conqueſtus fuerit. *Quæſivi .... qui ſimul contriſtaretur, & non fuit*. Pſ. 68. Ipſe etiam Matris Sanctiſſimæ, amicorumque conſpectus illius dolorem augebat. Itaque procul aberat, ut ſibi aliquid ſolatii vellet adferri. Aviditas, qua pati cupiebat, effecerat, ut ipſe, S. Laurentio Juſtiniano teſte lib. de ſpir. Chr. agone, omnes ſubiret infirmitates, omnes dolores, omnes Electorum ſuorum tribulationes. Illas ſenſit in horto eadem vi, & acrimonia, qua ſuas & ut gratia ſua juſtos infirmos afflictoſque confirmaret, ex eo tempore illis paſſionis ſuæ meritum applicuit. Eorum paſſiones conjunxit cum ſuis, ut per ſanctam unionem hanc Patri ſuo fierent gratiores. O bonitas ſine modo! O miſericordia ſine fine! Satis multa ſunt tibi ſuſtinenda Domine, quin tuis alienæ etiam accedant pœnæ; ſed charitas tua inſtar ignis eſt omnia devorantis, & numquam dicit ſatis. Quid ergo nobis faciendum eſt in grati animi argumentum pro tanta hac dilectione, niſi ut proprias & ipſi efficaciamus paſſiones tuas? *Ibidem.*

Nulla virtus eſt, quam exercere non poſſimus etiam cum ægrotamus.

Operæ pretium eſt conſiderare, mortificationes, quæ ab infirmitatibus, & morbis omnino ſperari non poſſunt, apud nos earum obtinere locum, quas dum optima fruimur valetudine exercemus. Cogitemus ergo diuturnas, quæ nobis præſcribuntur, diætas æquipollere jejuniis, quæ bene valentes ſervant, vehementes, quibus angimur, dolores ſupplere ciliciis, atque flagellis, quæ robuſtos homines, vigenteſque decent. Ita æquo ſuſtinentes animo pœnas, quas evitare in noſtra poteſtate ſitum non eſt, eaſque voluntarias efficientes libera acceptatione, certi erimus nos inde non mediocrem fructum eſſe percepturos. Debemus etiam in recipiendis amicorum viſitationibus ita nos gerere, ut morbus non ſit prætextus aliquis de proximo obloquendi, vel permittendi, uti nobis coram aliquid fiat perperam, ſi illud prohibere valeamus. Conſtat igitur nos in cubili jacentes infirmitatum noſtrarum cauſa exercere poſſe omnes illas virtutes, quas, qui valent; exercere poſſunt. In hoc rerum ſitu ipſam etiam eleemoſynam, & charitatem in praxim redigere poſſumus; & hac de cauſa videtur Dei noſtri bonitas conſueviſſe illos morbis afficere, quorum cor durum eſt, & proximi miſeriis non frangitur, ut hunc redacti ſtatum, ubi aliorum indigent charitate, diſcant aliorum miſereri; quod ita certum eſt ut S. Paulus ad Hebr. 4. de ipſo Salvatore non dubitaverit aſſerere, JESUM CHRISTUM, ut poſſet compati infirmitatibus noſtris per omnia tentatum fuiſſe, omniaque mortalium mala fuiſſe expertum. Ex his rationibus perſpicue argumentamur, nullam eſſe virtutem, quam in praxim redigere non poſſimus iis etiam in ſtatibus, in quibus nullam exercere poſſe videmur. *Ex Operibus Aſceticis Bloſii, & a Ponte.*

Patientia tot meritis, tantoque fulgore coruſcat, ut non ſolum Sancti Martyres illi omnes debeant triumphos ſuos verum etiam illis, qui patienter ſuſtinent mala, tribulationes, & vitæ hujus infirmitates, glorioſum Martyrum nomen acquirat. Nam, ut S. Chryſoſtomus affirmat, non eſt mediocris virtutis effectus, quod homo doloribus obrutus impatientiæ, & blaſphemiæ tentatus, ita ſe ipſum moderari ſciat, ut numquam illi excidat verbum, aut factum Chriſtiano minime dignum. Ecce quid Martyres faciat. Hoc pacto S. Job Martyris nomen adeptus eſt: & ideo

ideo Sciptura nobis proponit ejus patientiam cum illa Regis Martyrum tamquam exemplar noſtræ. Hinc quoque fit, quod virtus hæc inſignes victorias referat de potentiſſimis hoſtibus, cum quibus nobis eſt dimicandum; nam juxta S. Gregorii animadverſionem plus obtinet, quam gentium domitores, qui nonniſi homines ſibi ſimiles vincere poſſunt; illa vero efficit, ut ille, qui par eſt aliis, ſeipſum domet; ſubjiciat affectus ſuos rationi, & rationem gratiæ: victoria, quam Salomon judicat glorioſiorem, quam arces ad deditionem cogere, & urbes expugnare. *Ex Operibus Bloſii, & a Ponte.*

Chriſtianus qui pati non vult non agnoſcit J. C. Dominum ſuum.

Dei Filius paſſus eſt non ſolum ut peccata noſtra expiaret, & nos reconciliaret Patri, ſed etiam ut nobis præberet exemplum patienter ſuſtinendi omnia mala, quæ nobis in hac vita poſſent evenire. Ergo omnium paſſionum meritum amittit, qui Salvatorem non imitatur; quoniam una ex rationibus, propter quas paſſus eſt, fuit, ut illum imitaremur. Nihil majori conſolationi eſt Chriſtiano in tribulationibus ſuis; nihil illi minus murmurandi facultatem relinquit, quam aſpectus dolorum, quos J. C. ipſe perpeſſus eſt. Nos diſcipuli ſumus, ille magiſter; nos ſumus homines, ille Deus, nos nocentes, ille innocens; ipſi pro nobis patimur, & non pro ipſo. Poſſumus quidem carere culpa erga homines, neque eas meruiſſe contumelias, quas accepimus; ſed numquam omnino juſti ſumus coram Deo; & ſi eſſemus, quæ nobis eſſet cauſa conquerendi, ſi oculos in Salvatoris crucem conjiciamus? de quo Spiritus Sanctus teſtatur, nullum ab eo commiſſum fuiſſe peccatum, & in ore illius nullum inventum fuiſſe mendacium? *Tourneux in anno Chriſtiano Tomo* 4.

Apoſtoli ab omnibus contemnebantur tamquam hominum noviſſimi, ac miſerrimi, & permittebat Deus ut hoc in loco haberentur, ut illorum patientiam magis in ipſorum tribulationibus eluceſceret. Magnum eſt ſpectaculum juſtus pro Dei cauſa patiens. Hic patet oculis hominum, & Angelorum tum bonorum, cum nequam. Dæmonum furor oblectatur malis, quorum pondere ille obrutus eſt; impii illum irrident, ejuſque virtutem inſaniam vocant, cum interim objectum ſit admirationis illis, qui boni ſunt. Philoſophus quidam olim dixit par Deo dignum eſſe, virum fortem cum fortuna compoſitum. Dicam melius. Victrix patientia Chriſtiani æque contemnentis mundi minas, & illecebras, qui nullis tribulationibus, & fortunæ adverſitatibus flectitur, Deo ſpectaculum eſt eo jucundius, quia non ſolum ſpectator eſt triumphi hujus fidelis; ſed quia ille ipſe dat vim dimicandi ipſe auctor eſt victoriæ, & corona victoris. *Tourneux in anno Chriſtiano Tomo* 8

Ut ſit Salvatoris diſcipulus, præſertim imitari debet patientiam illius.

Dei Filius debet humeris ſuis geſtare crucem, in qua debet mori, & in hoc vult, ut qui volunt ſui eſſe diſcipuli, ipſum imitentur. Hoc autem facimus patienter ſuſtinendo, & obſequenter acceptando omnes hujus vitæ tribulationes, perferendo perſecutiones propter juſtitiam; parati ad vitam pro JESU CHRISTO impendendam, & ad ſubeunda, ſi opus fuerit, contumelioſiſſima ſupplicia, cujus generis illud crucis erat apud Judæos. Igitur ut Salvatorem ſequamur, non ſolum neceſſe eſt doctrinam ejus accipere, legemque illius obſervare, verum etiam imitari omnium virtutum exempla, quæ nobis reliquit, præſertim vero patientiæ, ſine qua vere ad illum pertinere non poſſumus. Non poſſumus eſſe de Salvatoris grege ſine conſtanti virtutis hujus praxi, quoniam ore proprio dixit ſequentibus ſe deferendam eſſe crucem ſuam, quia numquam deſunt tribulationes, pœnæ, labores, adverſitates. Invenimus in ſingulos greſſus occaſiones exercendi patientiam, & in hac virtute non ſolum cæteras contineri, ſed in hac comprehendi etiam omnem Chriſtianam perfectionem juxta ea, quæ dicta ſunt a S. Jacobo Apoſtolo. *Patientia opus perfectum habet, Tourneux in anno Chriſtiano Tomo* 9.

VERBUM DEI.

CONCIONES, CONCIONATORES, &c.

MONITUM.

CUM omnes concionatores rem agant ſuam, ubi de verbo Dei, cujus miniſtri ſunt, verba faciunt, paucos invenies, qui argumentum hoc non pertractaverint. Chriſtianorum quoque non minus intereſt ad illud audiendum confluere, quandoquidem ipſorum ſalus agitur: quamobrem argumentum hoc nequaquam prætermittendum eſſe arbitratus ſum. Duo tantum vel tria iſtic occurrunt animadvertenda.

Primum eſt, nomine verbi Dei non ſacra tantum intelligi Biblia, quibus hoc nomen proprie debetur; verum etiam juxta vulgatam loquendi rationem, conciones, ſermoneſque omnes, qui de Chriſtianis ſuggeſtibus ad fideles evangelicis veritatibus, ac myſteriis, quæ Deus in Scripturis revelavit, imbuendos. Hoc in ſenſu a nobis iſtic accipitur, & de eodem omnes Sancti Patres locuti ſunt.

Alterum, quod monendum mihi videtur, eſt, utilius eſſe, quod argumentum hoc pertractantes latius de auditorum negligentia loquantur infrequenter ad divinum hoc audiendum verbum convenientium, de modico fructu, quem inde illi percipiunt, de modica attentione, quam afferunt, deque aliis audientium defectibus, quam de defectibus concionatorum, qui illam vel nimis calamiſtrata oratione, vel pravo exemplo, quo ſæpe id evertunt, quod dicunt, & verbi hujus virtutem prohibent, corrumpunt. Meminiſſe concionator debet, ſe irrito labore concionatores alios, qui minime adſunt ideoque nec proficere poſſunt, cenſoria nota perſtringere, ſed ſe in eorum corona dicere, qui ab ipſo erudiendi ſunt.

Tertium denique, nihil in hoc argumento utilius accidere poſſe, quam oſtendere quanti referat ſæpe Dei verbum audire ex ore concionatorum; hoc enim illud eſt adminiculum vulgatiſſimum, & efficaciſſimum ad peccatores convertendos, ad pietatem in Chriſtianis fovendum, & ad fideles de officiis ſuis erudiendos, quod Deus eccleſiæ reliquerit.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Multiplex Concionum hujus argumenti ſtructura.

I. TOtum hoc argumentum redigi poteſt ad duas veritates, vel propoſitiones, quæ complectuntur, quidquid hac in re utilius eſſe poteſt, & ad mores informandos accommodatius. Prima eſt, verbum, quod prædicamus, eſſe vere Dei verbum, cujus ſequeſtres ſunt ejuſdem miniſtri. Altera eſt, hoc Dei verbum ad homines dirigi, ut de officiis ſuis erudiantur; cumque antea oſtenſa fuerit illius vis, inſtitutio, ac virtus, inferendæ ſunt concluſiones utriuſque partis propriæ.

Quod ad primam pertinet, ſi hoc Dei verbum eſt, qua de re ambigi nefas eſt poſt Sacrorum Bibliorum explicitum teſtimonium, inde tria debent inferri. 1. Audiendum eſſe animo proficiendi, non autem ex officioſitate quadam, ſocietate, vel occaſione, neque ex curioſitate, ut concio ad unguem elaborata audiatur, non animo cenſorio, neque ut concionatori plauſus, & exiſtimatio concilietur. Sanctum miniſterium! Dei verbum! ad quid redactum es? Qua vi prophetæ in hunc abuſum, atque prophanationem invecti non ſunt?

ſunt? Quomodo validiſſimum noſtræ ſanctificationis adminiculum in damnationis noſtræ argumentum convertimus? 2. Audiendum eſſe cum reverentia, & attentione, quia Deus per os concionatoris nobis loquitur, qui illius leges, & veritates nos docet, & cui hoc onus commiſſum eſt. Deinde latius diſſeri poteſt de contemptu, quo Dei verbum a pleriſque accipitur quin advertant ſe pati hoc pacto, ut elabantur ſibi tot ſalutis ſubſidia, & occaſiones. 3. In praxin redigendas eſſe veritates, quæ illic traduntur, quin illud ſpectetur, utrum ab ipſo concionatore exerceantur, & utrum vita ejus cum ſermone conſentiat. Nos quidem ſancti non ſumus, deque hac re Deo rationem ſumus reddituri; ſed intereſt veſtra facere, quæ dicimus, non imitari, quæ facimus. Sancti non ſumus, ſed veritates, quas prædicamus, ideone minus ſanctæ ſunt, & minus veræ? Sancti non ſumus; at nonne prædicamus Evangelium, ſanctiſſima dogmata, charitatem, injuriarum veniam, ac terrenarum rerum contemptum? Sancti non ſumus; verum indene inferendum eſt, neque vos ſanctus eſſe debere, & verbum hoc in cordibus veſtris fructum facere debere, quin ulla ſatoris ratio habeatur?

Pro altera veritate, vel propoſitione: hoc videlicet verbum hominibus dirigi, ut de officiis ſuis erudiantur: hæc duplex fieri poteſt conſideratio. 1. Singillatim ſibi quemque applicare debere, quod generatim dicitur a concionatore, & credere ſingulis dici, quod olim Propheta Nathan Davidi: *Tu es ille vir.* 2. Reg. 12. Tu ultionis cupidus es, ut jampridem cum agnato tuo foves ſimultatem, & inimicitias. Cum loquitur concionator de homine, qui luxum, atque mollitiem adamat, nonne tibi poſſet: *Tu es ille vir?* Hoc tamen tu ipſe tibi dicere debes, ac reſpondere, ut olim Salvatoris Diſcipuli, poſtquam edixit illis futurum, ut ab uno illorum proderetur, & dixerunt omnes: *Numquid ego ſum?* Matth. 26. Concionator ait, numquam futurum, ut avarus, ut fænerator, voluptuoſus cœli regnum poſſideant: *Numquid ego ſum?* Numquid ille de me locutus eſt? Hæc ſibimet quiſque dicere deberet, quin contumelioſe hoc ipſum ad abſentes transferrent: o utinam hic, vel illa hic adeſſent, næ illi quidem hæc de ſe dicta cognoſcerent! Hic illorum character eſt, &c. 2. Neque ſatis eſt ſibi applicare verbum hoc, illud retinere oportet, meditari, atque ſedulo conſervare, ne ſimilis illi fias, qui obiter tantum ſe ipſum intuetur in ſpeculo, neque ad id amplius advertens animum obliviſcitur ſtatim, qualis erat, & qualem ſe vidit, cui S. Jacobus Apoſtolus cap. 1. loquitur: Hæc potiſſima cauſa eſt modici fructus, qui ex Dei verbo percipitur; ſtatim ac auditum eſt, traditur oblivioni. Credunt, quemadmodum concionator munere ſuo defunctus eſt concionando, ſimiliter & auditorem ſuo fuiſſe defunctum audiendo. Finis fieri poteſt per hæc S. Pauli verba, pathetice illa efferendo, atque orationem ad auditores convertendo: *Timeo vos, ne forte ſine cauſa laboraverim in vobis.* Ad Galat. 4. Heu quanta mihi pro verbis metuendi adeſt cauſa, ne irriti fuerint labores mei. Ego præcipuas chriſtianæ religionis veritates tradidi vobis, nil aliud ſpectavi, quam ſalutem veſtram; in eo omnes induſtriæ, ingeniique vires collocavi, ut animas veſtras ædificarem; attamen vereor, ne oleum, operamque perdiderim. Verum num & mihimet ipſi metuere debeo, ne meo defuerim officio? Nunquam magis ſenſi pondus officii mei &c.

II. Quæri poteſt, cur adeo modicus Divini verbi fructus videatur, cum illud olim adeo potens, & efficax fuerit. Duæ rationes ſermonis hujus partitionem efficient. Altera quidem ex auditorum mente depromitur, illud non ſatis æſtimantium, neque ſatis dignum de eodem conceptum habentium. Altera ex corde illorum veritates, quas docti fuerunt, exercere detrectantium.

Quoad priorem, ut Dei verbum tanti fiat, quanti opus eſt, conſiderari poteſt, 1. Auctor illius, qui Deus eſt, & cujus hoc verbum eſt: *Non nos ipſi loquimur, ſed Deus, qui loquitur in nobis.* Ita licet minus bene morati, ac eruditi ſint concionatores, hoc nequaquam ſpectandum eſt, neque cogitandum, per quos hoc verbum nobis annuntietur, ſed fons unde fluit, nempe Deus; quæ res omnes aufert prætextus, quos afferre poſſunt Auditores, ut ſuum Divini verbi contemptum excuſent. 2. Conſiderari poſſunt veritates, quæ ab illo docentur. Hæc magna ſunt myſteria, evangelicæ veritates, ſublimia præcepta, quæ ad eminentem ſanctitatem nos poſſunt attollere. 3. Inſignes etiam effectus, quos peperit, mundi converſio, idololatriæ excidium, & omnia naturæ, & gratiæ miracula.

Quod ad alteram ſpectat partem modici fructus, qui ex Dei verbo percipitur, hæc ex corde auditoris deſumitur: inde omnes obices proficiſcuntur. Illud minime guſtat eas veritates, quæ ſtudiis ſuis adverſantur; alicui obnoxium eſt cupiditati, quam abdicare detrectat; ægre ſe ipſum vincit, ac torquet, ubi id flagitant occaſiones; qui totidem obices ſunt effectibus verbi Dei.

De verbo concionatorum ore creato id dici poteſt, III. quod Incarnatum Verbum, quod Verbum erat æternum, dicit de ſe ipſo: *Ego ſum via, veritas, & vita.* Joan. 14. 1. Dei verbum eſt via ſalutis: illud hanc nos docet, ad hanc nos deducit, & unum eſt ex adminiculis illis, quæ inſtituit Deus, ut ad ſupremam felicitatem perveniremus. 2. Veritas eſt; nihil enim prædicatur, niſi quod Deus, veritas ipſa, revelavit; myſteria videlicet, & dogmata noſtræ religionis. 3. Vita eſt, per illud enim vitæ gratiam recipimus, eamque ſervamus.

Poſtquam quæſitæ fuerint rationes, propter quas Dei verbum non eſt amplius æque, ut olim efficax, atque dubitatio inſtituta fuerit, utrum hoc ex auditoribus, an ex divini verbi præconibus proficiſcatur, dicere poſſumus, hoc ex duplici cauſa oriri, quæ ſermonis partionem poſſunt ſuppeditare. Prima eſt negligentia eorum, qui ad illud audiendum confluunt; altera eorum reſiſtentia impreſſionibus, ſanctiſque conſiliis, quæ ſuggerit.

Quod ad priorem: *Juſtus ex fide vivit*, inquit Scri- IV. ptura ad Hebr. 10. Hæc autem divina, & ſupernaturalis vita per fidem incipit, alitur, & ſervatur: *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei.* Ad Roman. 10. Unde inferendum eſt, illos, qui Dei negligunt verbum, vitam hanc habere, ac ſervare non poſſe. Ipſa autem duplici re obtinetur, atque ſervatur, quarum utrique Dei verbum inhæret, ſcilicet luminibus, quæ mentem illuſtrant, & unctionem, quam ipſum effundit in corda. Negligentia autem, qua divinum hoc excipitur verbum efficit, ut minime audiatur, & ne animus quidem illi advertatur; auditur enim, perinde ac profanus ſermo recitaretur.

Altera modici hujus fructus cauſa eſt, quod illi pluribus modis reſiſtitur, &, ne in nobis agat, prohibetur. 1. Divinum hoc ſemen opprimitur, & ſuffocatur, ac ſequi detrectamus ſanctos motus, quos excitat in corde noſtro. 2. Contemnitur, atque rejicitur; non putatur verbum eſſe Dei loquentis, ſed concionatoris rem nimium exaggerantis ſententia. 3. Converſionis cogitatio, quam nobis inſpirat, avertitur, ac in tempus aliud rejicitur. 4. Palam illi reſiſtitur, ac dicitur, quod olim Rex Agrippa S. Paulo: *In modico ſuades me Chriſtianum fieri.* Act. 26. Parum adeſt quominus victas dem manus. Heu! toto cælo abeſt; quandoquidem ſemper reſiſtit.

1. Utilitas, quæ ex Dei verbo percipitur, & ma- V. gni effectus, quos habere poteſt in anima, quæ illi recipiendo præparata eſt. 2. Modus illud cum fructu audiendi. 3. Mala, quibus ſe ſubjicit, qui illud audire negligit, vel, quod ab eodem docetur, minime exercet.

Cur adeo modicus ex Dei verbo fructus percipitur? VI. 1. Prædicatur, & non auditur, & plerique illud audire negligunt. 2. Auditur, ſed non intelligitur, & plerique ſenſum illius non aſſequuntur. 3. Intelligitur, ſed non adimpletur.

1. Dei verbum ſerendo eccleſiæ ager fertilis factus VII. eſt. 2. Divinum hoc verbum in anima noſtra ferendo, gratia nobis pro bonis operibus tribuit fæcunditatem. 3. Per divinum hoc ſemen Salvatoris providentia providit, providetque animarum noſtrarum alimoniæ.

1. Pauci ſunt divini verbi miniſtri, qui illud, VIII. uti opus eſt, prædicent. 2. Pauci ſunt fideles auditores, qui illud, uti opus eſt, audiant. Hæ duæ ſunt cauſæ modici fructus, quem illud in animabus noſtris producit.

1. Quanti referat Dei verbum bene audire. 2. Quid IX. agendum, ut bene, & cum fructu audiatur.

Ut Dei verbum beatum efficiat hominem, quod Sal- X. vator ipſe de illud audientibus ait, hoc agat opus eſt in mente, corde, & manibus ejus. 1. In mente, ut illam illuſtret, ac erudiat: 2. In corde, ut illud purificet, excitet, & inflammet. 3. In manibus tandem, ut audientem ad bona opera impellat. Hoc jam Dei ipſius nobis verba prædixerat: *Ponite hæc verba in cordibus veſtris, & in animis veſtris, & ſuſpendite ea pro ſigno in manibus.* Deuter. 11. *Ex Specimine ſerm. pro tertia Quadr. Dominica.*

Cum Dei verbum in Scripturis vocetur panis, & XI.